DIATRIBE

IN

T. POMPONIUM ATTICUM.

0

DIATRIBE

IN

T. POMPONIUM ATTICUM,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

RICHARDI VAN REES,

MATH. MAG., PH. NAT. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

JANUS GERARDUS HULLEMAN,

RHENO-TRAJECTINUS.

A. D. XX. M. JUNII, A. MDCCCXXXVIII, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM

APUD C. VAN DER POST JUN.

MDCCCXXXVIII.

Typis mandavit L. E. BOSCH.

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT., ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO, PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROFESSORI ORDINARIO, INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE TERTIAE CLASSIS SOCIO,

ET

ANTONIO VAN GOUDOEVER,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT., PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROFESSORI ORDINARIO, INSTITUTI REGII ARTIUM DOCTRINARUMQUE TERTIAE CLASSIS SOCIO,

VIRIS CLARISSIMIS,

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS,

D. D. D.

Auctor.

PRAEFATIO.

Ut primum adolescens in T. Pomponii Attici notitiam legendo Nepote perveni, me ille sic perpetuâ suâ cepit vitae integritate, morum elegantiâ, eximiis omnino animi ingeniique dotibus, ut hoc nomine neminem fere haberem in antiquis, quem majore loco ponerem, quem admirarer magis. Incidenti deinde in Ciceronis Epistolas, multa eaque satis gravia deprehendere mihi videbar, quae neque aliunde cognoveram neque apud Nepotem legeram. Quum igitur materiam dispicerem, qua elaboranda specimen studiorum publice exhiberem, mox vetus ille amicus se mihi obtulit, de cujus vita, ingenio studiisque accurate dissererem. Eo autem magis hoc disputationis argumentum mihi arrisit, quod nullam peculiarem scriptionem, recentiore aetate editam, invenirem, quâ plene haec materies tractata esset; id quod in tanto antiquarum literarum, qualis hodie viget, ardore, mirum videatur. Iccirco ἕρμαιον illud mihi gratulans, conveni Heusdium et Goudoeverum, Viros Clarissimos;

quos ut consilii mei participes feci sententiamque rogavi, ambo me et ad scribendum exhortati sunt et suum mihi auxilium sponte obtulerunt. Qua ope nisus et humanissime a Geelio et Bergmanno, eruditissimis Viris, variis e Bibliotheca Lugduno-Batava operibus sustentatus, alacri animo ad opus me continuo accinxi. Id vero quomodo mihi cesserit, aliis trado dijudicandum. Me, si voluntatem optimis judicibus studiumque probavero, impensae operae haud poenitebit.

Hac autem praefandi opportunitate uti mihi liceat, ut debito suavissimoque officio perfungar. Si qui sunt, quibus devinctum me variis beneficiis sentio, — at quam multi sunt! — Vos estis tamen, Heusdi et Goudoevere, quos nunquam non optimos sum praeceptores fautoresque amicissimos expertus. Vobis ducibus Academica studia inchoare, Vestris auspiciis perficere mihi contigit. Quoscunque fecerim in literis progressus, Vestris monitis ac praeceptis saluberrimis, quae Tu, Cl. Heusdi, privatis etiam liberaliter auxisti, debeo acceptosque refero; quoscunque faciam posthac, Vestra potissimum laus erit. In ipsa hac absolvenda disputatione apparuit mihi denuo benignus Vester animus, quum vario auxilio consiliisque, quae Vestra est humanitas, prodesse mihi non denegaveritis. Gratus tanta beneficia palam agnosco; cujus adeo sensus mei ut aliquod testimonium exstaret, eandem illam disputationem Vestris nominibus inscribendi veniam petivi. Hoc igitur in praesens habeatis velim gratissimi pectoris indicium, cui ut in posterum, qua potuero ratione, respondeam, maxima mihi cura erit. Vos autem, ut porro quoque eâdem, qua adhuc, benevolentiâ parique officiorum genere prosequi me velitis, etiam atque etiam rogo.

Idem Vobis dictum sit, Viri Clarissimi! quotquot in variis disciplinis excolendis duces habui et doctores. Vestris studiis favorem suum adjunxerunt plurimi sive dignitatis honorumque seu eruditionis nomine illustres Viri. Nomina recensere longum est nec necesse. Cuncti vero gratias a me accipiatis, quaeso, pro insignibus benevolentiae indiciis, quibus me cumulare humanissime voluistis. Eadem Vestra quoque erga me maneat voluntas idemque studium; me certe talem cognoscetis, qualem nunc me profiteor, tantae benignitatis nunquam immemorem.

Neque Vos praetereundi mihi estis, Gymnasii Rheno-Trajectini Praeceptores, Viri Doctissimi. Vos quoque summo jure meam Vobis gratiam vindicatis, siquidem per omne tempus, quod Vestra sum institutione usus, nulli plane pepercistis operae, ut antiquarum literarum amore me adolescentem incenderetis, pulchri venustique sensum in animo meo tum excitaretis tum aleretis. Sic Vestro studio factum, ut ad majora mihi aditus pateret viaque ad doctrinam sterneretur. Vobis igitur cunctis, Viri eximii! etsi meritis Vestris imparem, pro meo tamen studio debitam refero gratiam. Tuam maxime, Doctissime Nyhoff! si singularem recordor et constantem erga veterem discipulum benevolentiam, quî possim Tua merita contemnere, quî non grato animo Tuas in me laudes memorare? Fruare diu placido otio, quod post indefessum laborem honorifice Tibi est concessum; in me autem, quo coepisti modo, et amicitiam Tuam conferre et favorem pergas.

Tandem ad Vos me convertam, Sodales amicissimi! Frustra, eheu! in Vestro numero unius me desiderium tenet. Frustra illum desidero, qui, quamdiu in hacce Academia operam literis navavit, dulci sua consuetudine

me sibi ita devinxit, ut non haberem, quocum major mihi esset voluntatum, studiorum sententiarumque consensio. Hic ipse dies, ut optârat, Beverenum (nam hunc me dicere facile suspicamini) mecum ad summos evexisset in literis honores; sed mors inexorabilis nostris votis intervenit. Lugent parentes cognatique filium fratremque carissimum, Academia alumnum unum in paucis eximium. At nolo Vos diu tristi hoc casu tenere. Plerique juvenem novistis, plerique ejus in literis et philosophia excolendis merita haud ultimo loco posuistis. Eadem quanti fecerint Clarissimi ejus Praeceptores, ipsi palam professi sunt, quum, lectiones suas instauraturi, memoriam cari discipuli laudesque sua quisque oratione celebrarent. Sane vigebit ille, quamvìs mortuus, nostris omnium animis, nec dies nobis gratam ejus memoriam delebit. Nos vero, Commilitones! quibus adhuc fati vis pepercit, pergamus amicitiam colere. Jucundam consuetudinem, quae Vobiscum mihi intercessit, ne mutent tempora, sed stabilitate ut vigeat crescatque eundo, operam demus.

Scripsi TRAJECTI AD RHENUM
M. *Majo* A. *MDCCCXXXVIII.*

DISPUTATIONIS CONSPECTUS.

CAPUT SECUNDUM.

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS QUADRAGESIMO QUARTO
AD UNDESEXAGESIMUM.

Ab A. U. C. 690—704 (*A. C.* 64—50).

CAPUT TERTIUM

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS UNDESEXAGESIMO AD SEXAGESIMUM SEXTUM.

Ab A. U. C. 704—711 (*A. C.* 50—43).

Bellum civile Caesarianum. Ciceroni, ad urbem moranti, Atticus consulit omniumque rerum eum facit certiorem. Consilia haesitanti Ciceroni a Pomponio data, quorum ille admiratur praestantiam. Atticus ipse in civilibus illis altercationibus neutris se partibus palam addicit, sed utitur aetatis vacatione. Pompejanorum ad Pharsalum clades, salutaris Attico. Apud Caesarem gratiâ floret, qua utens multum ad causam Tullii expediendam confert. Magnis curis premitur, in primis causa quadam Buthrotia, quae qualis fuerit, exponitur. Ciceronem, filiae mortem deplorantem, amicissime consolatur, et variis nominibus ei auxilio est. Filiam Atticus suam collocare cogitat, quod ipsi aliquamdiu post prospere cedit. Magna fit in civitate conversio nece Caesaris. Defendit hanc Atticus et spem concipit reipublicae restituendae. Novâ tyrannide ortâ, de spe decidit. Hostiliter a quibusdam petitur. Bruto favere pergit et opitulatur, sed sine factione. Iccirco aerario ei constituendo praeësse non vult. Antonio non adulatur. Ciceronem, Româ absentem, consiliis adjuvat. Ipse in urbe moratur. . . . . p. 68—94.

CAPUT QUARTUM.

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS SEXAGESIMO SEXTO AD MORTEM.

Ab A. U. C. 711—722 (*A. C.* 43—32).

Bellum Mutinense. Profugit Antonius patriaeque hostis declaratur. Ejus uxori et liberis Pomponius consulit. Alios

CAPUT QUINTUM.

ATTICI INGENIUM ET MORES.

CAPUT SEXTUM.

POLITICA ATTICI CONSILIA.

CAPUT SEPTIMUM.

ATTICI STUDIA, SCRIPTA, EORUMQUE,

QUAE SUPERSUNT, FRAGMENTA.

Τὰ δ᾽ ἔργα τῶν πραχθέντων οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράφειν, οὐδ᾽ ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ᾽ ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών.

THUCYDIDES.

DISPUTATIONIS PROOEMIUM.

DE FONTIBUS HUJUS DISPUTATIONIS EORUMQUE FIDE HISTORICA.

Est hoc universe in antiquitate perscrutanda, si quid aliud, necessarium, ut, quibus monimentis disquisitio nitatur, quidque ponderis iis tribui debeat, rite cognoveris atque perspexeris. Itaque operae pretium esse duximus, in exordio nostrae disputationis animadvertere quaedam de iis operibus, quorum ope de T. Pomponio Attico exposuimus. Neque tamen late evagari et subtilissima ratione colligere omnia atque dijudicare lubet, quaecunque fontium nostrorum naturam spectant et praestantiam; sed summatim conabimur indicare, qui fuerint et qua fide dignos se eorum auctores praestiterint. Quum autem e Nepote ac Cicerone longe maximam partem nostra hauserimus, hi potissimum in scenam prodeant, et prior quidem *Cornelius Nepos*.

De aetate Nepotis quamvis accurate definiri nequeat, hoc tamen licet affirmare, aequalem eum et familiarem fuisse Ciceroni [1], adeoque eodem quo Atticum tempore floruisse, cui, si ipsum audimus, tam fuit amicus, ut plurimum eo uteretur domesticisque ejus rebus saepe interesset [2]. Factum hac Nepotis cum Attico familiaritate est, ut quem librum ille *de excellentibus Imperatoribus* scripsit, eum Attico inscriberet, quemadmodum e *Praefatione* hujus operis constat; factum pariter est, ut ejusdem rogatu librum conderet de *M. Porcii Catonis vita et moribus* [3]. Quod vero maximum est nobisque ante omnia attendendum, Nepos, quotidiana consuetudine ad interiorem Attici vitae ingeniique cognitionem progressus, singulari libello de hoc ipso egit, quem partim vivo illo, partim mortuo edidit, quique etiam nunc inter servata Nepotis scripta haud infimum locum, quamquam in editionibus ordine ultimum, obtinet. Diversum tamen opusculum est ab

1 Patet, ne alia memorem, tum e Lib. XVI. *ad. Att.* Ep. 5. § 5, tum e sylloge Epistolarum, quarum a Nepote ad Ciceronem scriptarum laudatur Liber I. a Lactantio, *Div. Inst.* Lib. III. c. 15; Ciceronis ad Nepotem meminit Suetonius *Vit. Caes.* c. LV, aliique. Vid. Fabricii *Bibl. Lat.* ed. Ern. Tom. I. p. 109.

2 *Vit. Att.* c. XIII. § 7.

3 *Vit. Cat.* c. III. § 5. Fragmentum ex hoc opere vide apud Gellium, *N. A.* Lib. XI. c. 8, qui illud laudat tanquam e libro Nepotis *de illustribus Viris*.

eo libro, quo excellentes Imperatores complexus est; ad summum unius majoris operis pars haberi utrumque possit. Scripsit enim Nepos plurimis libris *de Viris illustribus*, in quibus uti de belli ducibus; de oratoribus, de philosophis, de poëtis aliisque egit, ita singulari libro *de Latinis Historicis* exposuit. Huic adnumeranda *vita Attici*, quae sub Nepotis nomine fertur et ceteris vitis extrema adjuncta est [1]. Eam ante Attici obitum absolutam publici juris fecerat, quod his auctoris verbis certum putatur. «Hactenus Attico vivo edita haec a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur.»[2] Ediderat igitur illa, ut videtur, A. U. C. circiter 711 (A. C. 43), certe post mortem Ciceronis, prouti e rebus quibusdam in parte ea obviis colligi debet [3]. Mortuo vero Attico, ne quid magnopere desideraretur, persecutus est quae ince-

1 Vid. Lieberkuehnii - Pohlmanniani primario praemio in Acad. Jenensi coronata commentatio *de auctore vitarum, quae sub nomine C. Nepotis feruntur*, pag. 19 sqq. Testatur Schottus se in antiquissimo cod. ms. hanc inscriptionem reperisse: *Historiarum Latinarum Cornelii Nepotis vita Attici.* P. Manutius in Gifanii libro legit: *Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis.* Cf. Fabricius l. l. p. 101.

2 *Vit. Att.* c. XVIII. f. c. XIX. init. Male autem haec verba ita divelli, unicuique facile persuadebitur. Pertinent procul dubio ad c. XIX, unde supplere auctor coepit, quae suo operi deërant.

3 Cf. Lieberkuehnius pag. 22, ad cujus rationes haec addi omnino debet, quae continetur *Vit. Att.* c. XVI. § 3,

perat, simul fortasse prius scripta elimans, addiditque, quae, deinde facta, memoriâ ei digna visa sunt; cui quidem alteri curae pauca quaedam debemus de gratia, qua Atticus apud Antonium atque Augustum usus fuit, aliisque de rebus, quae obitum ejus spectant.

Jam vero longa institui et perdifficilis quaestio possit, utrum ea *Attici vita*, cujus de vulgata doctorum virorum sententia Nepos auctor habendus est, genuina sit an ab aliena manu profecta. De *excellentium Imperatorum vitis* quaestio illa dudum ante nostra tempora invaluit; sed post summi Lambini operam non amplius fuit agitata, donec hac ipsa aetate nostra alii surrexerunt, qui veterem Nepoti litem denuo intenderent. In magna opinionum discrepantia haec antea unanimis fere manserat sententia, Attici vitam germanam esse et Nepoti deberi. Tum vero inter alios quosdam exortus nuperrime vir doctus est [1], qui,

unde clare patet, eam vitam, quam duodeviginti prioribus capitibus Nepos complexus est, editam fuisse post necem Ciceronis. Nam de hujus ad Atticum Epistolis locutus sic auctor persequitur: «Non enim Cicero ea solum, quae *vivo* se acciderunt, futura praedixit: sed etiam, quae *nunc* usu veniunt, cecinit ut vates." Et vero ipsas illas Epistolas Atticus Nepotis rogatu a Cicerone expetiit, ut docemur Lib. XVI. Ep. 5. § 5, scripta ante mortem Tullii duodeviginti mensibus, qui locus diserte ostendit eas collectas sero demum fuisse, nedum editas.

1 Fuit ille J. Held, *Prolegg. ad vitam Attici, quae vulgo*

quod alii Nepoti reliquerant, aggressus, libellum de Attico tam parum a Nepote scriptum esse contenderet, ut vix a Romano potuerit confici. Quod si hujus opiniones indagare atque argutias refellere vellemus, praeterquam quod peculiarem id exigeret scriptionem, acta tantum ageremus et plurima repetenda essent, quae satis fortiter ea de re et perite fuerunt disputata[1]. His igitur ita facile supersedemus, ut, Nepotem verum auctorem habentes, totam quaestionem mittamus, et quid de opusculi Nepotis fide animadvertendum sit, strictim indicemus.

Itaque tanta et tam familiaris consuetudo quum Nepotem inter et Pomponium intercesserit, sequitur, ut quae de hujus rebus ille scripsit, ea accurate scribere potuerit. Ipse res gestas ejus vel vidit vel certo potuit cognoscere, ingenium ipse expertus est et exploravit, scripta perlegit. Fides autem Nepotis, quam in ceteris vitis, quas superstites habemus, ubivis fere magnam prodit[2], facit, ut vel hinc praeclare sentire de *Attici vita* nobis liceat, imo majora

C. Nepoti adscribitur. Libellum, qui prodiit Vratislaviae 1826, comparare mihi non potui; ejus tamen rationem cognovi ex iis, quae a Lieberkuehnio passim notantur, in primis pag. 52 sqq. Idem consulendus quoque est de ceteris Viris eruditis, qui Nepoti *vitam Attici* denegarunt.

[1] Fecit Lieberkuehnius l. l.

[2] De fide Nepotis legatur Doct. Ekker. *disq. crit. de fontibus et auctoritate C. Nepotis*, argenteo praemio ornata a Societ. Rheno-Traj., in cujus *Actorum* exstat P. III. p. 193 sqq.

etiam propter utriusque amicitiam exspectare. In reliquis enim explanandis ipse, saeculis aliquot aetate remotus, aliorum commentarios consulere debuit et pro eorum minore fide magis falli; quod ideo, si qua factum constat, ei nequit vitio verti. Et vero in Attici fatis et moribus enarrandis re vera hoc Nepos praestitit, ut cum eleganti dictione fidem probaret eam, in qua, nisi nugis delectere, non reperias, quod merito tanquam falsum suspiceris. Insunt paucissima, quae majore fortasse diligentia scripsisset, si voluisset omnia cum pulvisculo exhaurire; id vero Nepoti nec consilium fuit nec necessarium. Scribebat aequalibus suis, quorum plerique Atticum cognoverant, certe fando de eo audiverant, quibusque ea, quae possint nobis alicujus pretii videri, secus fortasse visa forent. Quod autem auctor maxime sibi proposuit, hoc fuit, *ut, quantum posset, rerum exemplis lectores doceret, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.*[1] Hinc historiae legibus minus tenebatur neque omnibus numeris absoluta narratione opus habebat. Id tamen, quum aequalibus de Attico exponeret, simul ei erat cavendum, ne qua in re plecti jure et falsitatis coargui posset. Proinde haud vulgaris ei multoque major quam in aliis vitis cura fuit adhibenda. Ut familiaris igitur vera de Attico scribere optime potuit,

[1] *Vit. Att.* c. XI. §. 6, c. XIX. § 1.

ut aequalis debuit. Non aliter autem scripsisse, nullum est hoc luculentius testimonium, quod in omnibus, quae tradidit, quatenus ejus narrationis cum Tulliana aliorumque comparandae copia est, mendacii argui nusquam possit. Etsi enim primo obtutu aliquoties errare videtur et minore diligentia tradere, facillima tamen ratione ubique Ciceroni conciliatur; quod nos suo loco significabimus.

Ex hisce apparet, quid *vitae Pomponii*, qualem eam a Nepote scripto mandatam habemus, tribui merito debeat. Dicendi autem genus, ut hoc etiam attendamus, tale est, ut haud pauci elogium potius ejus scriptionem habeant, quam ad veritatem accuratissime exactam expositionem. Et, fateor, fortioribus plerumque coloribus imaginem Attici auctor effinxit; sed, ubi alia indicia eaque firmissima desunt, propterea Nepotis fidem equidem non suspicor; ut aliquando factum video. Fuit enim, qui, quum panegyricam orationem a Nepote scriptam existimaret, qua sibi ipse consuleret, scriptoris fidem suspectam plane reddere conaretur. De viri illius sententia Nepos habendus homo est suo tempore perquam obscurus, laudis simul cupidissimus, sed eam ipsam quo pacto assequeretur prorsus ignorans. Forte tamen et casu inciderat in Attici familiaritatem, inter aequales nominis claritate conspicui. Itaque Nepos hanc avide arripuit occasionem sese celebrandi, contexit satis negligenter amici vitam suique mentionem facere haud

neglexit, ut tandem cognoscerent aequales, quanti viri familiaritate Nepos gauderet [1]. O demissam sententiam parvumque animum! Quasi vero de Attico ementiri, id fuisset magnam sibi gloriam comparare! Sane tali fama Nepos non indigebat, quem et aequales, Cicero, Catullus, alii, tanto pretio aestimarunt, et cui cetera sua scripta immortale nomen semper vindicabunt. Sed ad rem redeo. Negari quidem, ut coeperam dicere, nequit, insignes esse laudes, Pomponio a Nepote tributas; sed pari studio id in Miltiade perfecit, pari in Aristide, Cimone, Epaminonda, aliis, quorum tamen *vitas* nemo, opinor, falsitatis incusabit. Verum habebat auctor in Attico, quae in illis non ita habebat. Nam, ut modo memoratum est, quum de Attico scriberet, virum Romanum Romanis repraesentare studebat, *cui sui mores conciliassent fortunam* ejusque adeo vitam popularibus proponere tanquam

1 Censuit ita Abbas de St. Réal. Opp. Tom. I. p. 329 sq. denuo ed. Hag. 1726, in dissertatione, qua sub *Cesarionis* nomine disputationem exhibet, inscriptam: *Caractere de T. Pomponius Atticus.* Inter alia haec scripsit: »*Nepos est, la plûpart du tems, un Menteur de bonne-foi; dont le génie étoit fort médiocre, ainsi qu'il paroît par tout ce qui nous reste de lui; qui avoit donné tête baissée dans tous les piéges, que son Héros lui avoit tendus, pour s'en faire admirer; et qui raporte, comme des véritez incontestables, tout ce qu'il avoit ouï dire à l'avantage d'Atticus, par Atticus même. On ne peut être plus suspect, en toute maniere.*"

exemplar omnium imitatione dignissimum. Quod minus ab eo factum mirabimur, si morum corruptelam cogitaverimus, quae Nepotis jam aetate in Romana republica *dira* sua *lue* velut *auras vitiaverat.* Accedebat, idque non minus in censum venit, quod de eo scriberet, quo vivo amicissime fuerat usus, quem mortuum pie venerabatur [1]. Haec teneat, cui *Attici vitam* a Nepote scriptam dijudicare placeat, neque elatius scriptoris dicendi genus objurgatione incesset. Laudabit potius constantem Nepotis religionem, qui tam lubricà viâ firmo gradu processerit nec usquam de recta deflexerit.

Haec de Nepote dicenda videbantur. Nunc vero producamus *M. Tullium Ciceronem.*

E variis scriptis, quae a Cicerone profecta hodieque exstant, nulla, uti vel non monitus sponte quisque suspicatur, nobis ad Attici res gestas moresque cognoscendos majoris sunt pretii, quam *sedecim volumina Epistolarum, ad Atticum missarum.* Continent illa circiter quadringentas Epistolas, quae, ab anno inde U. C. 685 — 710 scriptae, sex et viginti annorum spatium, modo continuum, modo aliquamdiu interruptum, complectuntur. Fidem illarum Epistolarum nemo facile addubitabit, neque, quoad scio, addubitata illa fuit. Si extremum vitae tempus excipias, colligere eas atque edere Cicero

[1] Cf. Doct. Ekker l. l. pag. 275.

nunquam in animum induxerat [1]. Ad alios scribens subinde, vel quia ita placebat, vel quia sua putabat interesse, blandus fuerit: inter se et Atticum blanditiis nunquam utebatur [2], quin imo, occasione datà, a leni objurgatione haud abstinebat. Nisi gravi causa impediti, semper epistolas sua manu scribebant [3], quo literis secum tanquam praesentes familiarissime colloquerenter, alter alterum nihil admodum celaret, intima animi consilia ingenue proderet. Eo fit, ut, quemadmodum ipsius Ciceronis res gestae, virtutes, vitia luculente ex ejus Epistolis cognoscuntur, ita ad hujus ingenium et consilia, diversis temporibus inita, penitus percipienda eaedem haud minimi sint momenti. E Nepote facta potius discimus; Cicero factis cogitata addit. Veruntamen in Nepotis opusculo cum Ciceronis Epistolis comparando hoc attendendum est: ille vitam scripsit, collegit res praecipuas et disposuit, quae illuc pertinebant; sed Cicero scripsit, quae sibi in mentem veniebant vel, quo die scribebat, notatu digna videbantur. Ea Atticus probe intelligebat, ut longis orationis ambagibus non opus haberet, sed verbo tantum indicaret. Inde apud Nepotem liquida omnia; apud Ciceronem multa obscura, quae certius profecto clariusque cer-

1 Vid. supra laud. Lib. XVI. *ad Att.* Ep. 5. § 5.

2 Disertis verbis id indicat Cicero, Lib. XII. Ep. 3. § 1.

3 Lib. II. *ad Att.* Ep. 23. § 1. init.; Lib. IV. Ep. 16. § 1. init.; Lib. VII. Ep. 2. § 3; Lib. XVI. Ep. 15. § 1.

neremus, si et ipsius *Attici ad Ciceronem* scriptae *literae* ad nostram aetatem pervenissent. Quod quum secus acciderit, gravissimum damnum putandum est in Pomponii vita exploranda. Nihilominus id largiter resarciunt alio nomine Tullianae epistolae, quo magnopere earum praestantia cernitur. Scilicet capita illae plerumque continent eorum, quae Attici literis contenta fuerunt, unde nobis interiorem hujus mentem saepe intueri licet. Est enim epistolarum haec propria et fere singularis ratio, ut redditae acceptarum non plene quidem, sed summatim tamen argumentum complectantur; cujus rei causa in aperto est. Respondetur nobis ad ea, quae prius vel rogavimus vel certe memoravimus; et ita sponte summarium exsistit cujusque traditae rei. Ea igitur ratione cum Nepotis libello aestimari Tullii ad Pomponium Epistolae fons merito possunt uberrimus, unde praeter alia ea haurias, quae non Tullii solum splendidissimam imaginem repraesentent, verum etiam ad Attici facta et consilia indaganda maximum pondus habeant.

Reliqua Ciceronis scripta, quae fontibus adnumeranda sunt, in tria genera possunt distingui: in quibus sive coram aliis obiter de Attico mentionem facit, sive Atticum ipsum alloquitur, seu denique eum loquentem inducit. Primi generis sunt *Epistolae* quaedam, partim *commendatitiae* Attici gratiâ scriptae, partim *ad Q. Fratrem* et *ad Di-*

versos missae, *Orator*, duo priores *de Finibus* libri; secundi generis sunt libri *de Senectute* et *de Amicitia*, Attico inscripti; tertii, libri *de Legibus*, *Brutus*, liber *de Finibus* quintus, *Academicorum* primus; quorum loca modo, ut fit, majoris, modo minoris momenti, accuratius infra definituri sumus. Opera autem illa recensuisse sufficiat. Pauca continent, quorum plurima vel apud Nepotem vel in Epistolis etiam exstant. Omnia autem Attici tempore edita sunt, longe maximam partem eidem lecta et divulgata, unde eorum auctoritas mirifice augetur. De postremo autem genere hoc universe dictum sit, etsi is sit mos dialogorum, ut loqui inter se disputantes proponantur, quod inter se nunquam locuti sunt [1], eo sententiarum pondus non ita levari, ut nullum fere existimari possit. Constat enim satis, Tullium tantâ fide et peritiâ versatum ea in re fuisse, ut plane alienas sententias personis suis nequaquam obtruderet, sed, quoad posset, ad eorum ingenium cogitandique rationem suam orationem accommodaret.

Restat, ut verbo de ceteris nostrae disputationis subsidiis moneamus, quae sane sunt tam numero, quam momento perexigua. Pauca loca sunt in Nepotis *Hannibale*, Valerio Maximo, Seneca, Tacito, Suetonio, Plinio Secundo, Solino, Asconio Pediano,

[1] Lib. IX. *ad. Div.* Ep. 8. § 1.

Frontone obvia, quorum hic fere solus usus est, ut valeant ad priora confirmanda; unde item fides eorum perspicitur. Mirari tamen subit, Plutarchum, etsi *Ciceronis ad Atticum Epistolas* haud ignoravit, altum de Pomponio silentium servasse. Quod non ita acceptum velim, quasi debuisset de industria vitam condere [1], sed de Cicerone scribens quomodo rite Atticum potuerit praetermittere, non intelligo. Exceptis igitur Cicerone et Nepote, cetera antiquitatis scripta nobis in Attici fatis perscrutandis non admodum inserviunt. *Bruti* ad eum scriptae *Epistolae* omnes perierunt [2]; una quae hodieque sub illius nomine ad Atticum missa fertur, spuria a viris eruditis judicatur. Ipsius *Pomponii Epistolae* editae fuisse non videntur; saltem aevum non tulerunt [3]. Eâdem fortunâ usa sunt varia quae scripsit et edidit opera; quae si superessent, ipsi possemus certius de ejus scribendi laude statuere. Nunc hac quoque in re aliorum testimoniis contenti esse debemus.

1 Si Dario Tiberto credere placet, Plutarchus *vitam Pomponii* scripsit. Nam in *Epitome vitarum Plutarchi*, quae sub ejus nomine Basileae edita est A. 1541, *Attici vitam* quasi Plutarcheam postremam collocavit. Sed aperte compendium est Nepotis libri, in quo similia similibus reddidit, Nepotem anxie secutus.

2 Earum meminit Plutarch. *vit. Cic.* c. XLV. init., *vit. Brut.* c. XXIX.

3 Cff. quae hac de re infra c. VII. dicemus.

Subsistere hoc loco et ipsam disputationem aggredi liceret, nisi breviter dicendum videretur de quibusdam scriptis, quae cum argumento nostro conjuncta recentiore aetate prodierunt. Omnia hoc loco memorare nihil opus est, cum in annotatione sint indicata. Prae aliis tamen viri cujusdam est mentio facienda, qui opusculis suis alios excitavit, ad quorum opinionem magnam eamque perniciosam vim exseruit. *Abbatem* dico *de St. Réal.* Edidit hic Gallicâ linguâ scriptam dissertatiunculam, *Cesarionem* nomine, in qua de Attici ingenio plurima disputavit. Lectis jam et notatis, quae de Attico apud veteres inveniuntur, equidem in Abbatis scriptionem incidi et, mirum dictu! quae illic de Pomponii moribus laudabilia inveneram, hic plane legebam contraria virtutesque ejus ab antiquis celebratas animadvertebam in vitia conversas. Relegi opusculum; relecto autem, quid putes? scriptorem cognovi, qui *quid verum atque decens* tam parum *curaret et rogaret*, ut falsissima quaeque ac turpissima Nepoti et Attico tribueret, illum mendaciis plenum scriptorem pronuntiaret, hunc hominem, humanae societati perniciosissimum. « At probaverit tamen, » inquies, « quae effatus est. » Imo vero sunt, quae probare voluit: sed argumentis partim fictis, partim etiam e Cicerone desumptis, iisque vel depravatis vel ad alienam sententiam contortis; quae omnia aperte virum produnt vanitate atque insolentia ple-

nissimum, a veri studio remotissimum.[1] Idem tentavit in annotationibus, quibus quasdam Ciceronis ad Atticum Epistolas a se editas ornavit; verum pari cum mala fide, arripiens avidissime quaecunque ad famam Attici labefactandam colligere poterat, ut nulli fere rei magis animum videatur applicuisse. Censorem quidem nactus est[2], sed vel sic tamen posteri ejus exemplum perperam secuti sunt. In his *Mongaltius*, qui licet universe mitius ac verius interpretatus sit, re tamen decessori nihil cedit[3]. Exstitit tandem, qui, suppresso nomine, item de Attici ingenio moribusque aggressus est scribere, eâ quidem ratione, ut, ceteroquin Abbatis vestigia egregie premens, ab eo hoc nomine discreparet, ut, si qua posset, vituperationibus ac maledictis exagitaret vel augeret, quae ab Abbate fuerant intacta relicta vel lenius dijudicata.

1 Cf. Mongaltii judicium, *Praef.* ad Tom. I. *Epp. ad Att.*

2 Nomen hujus, quod ipsa scriptio non profert, fuit Rainssant, teste Baylio, *Dict. hist. et crit.* voce Atticus, not. XI. Oppugnavit autem *Cesarionem* in libello, qui prodiit A. 1686 Emmericae, inscripto: *Le Retour des Pieces choisies, ou Bigarrures curieuses*, pag. 32 sqq. Censura opusculi exstat in *Novellis Reip. lit.*, Gallice editis a Baylio A. 1686, pag. 1405 sqq.

3 Vid. in primis ejus *Praefatio* ad Tom. II., ubi suam de Attici ingenio sententiam explicat. Hanc receptam vide et commendatam a Bernardo in *Nov. Reip. lit.* A. 1716, p. 298 sqq. et Graetero, Tom. VII. *Epp. ad Att.*, quas post Wielandi mortem edere perrexit, p. 183 sq.

Haec omnia respicientes, non potuimus non in disputatione nostra illorum virorum commenta attendere: non quod datâ operâ velut Apologiam Attici scribere constituimus, sed videntur ea sic se habere, ut, si sua veritati laus constabit, nec ferenda sint nec mittenda. Singula igitur referemus, et, ubi opus fuerit, paulo accuratius explorabimus.

Caput Primum.

VITA ATTICI AB INEUNTE AETATE AD AETATIS ANNUM QUADRAGESIMUM QUARTUM.

Ab A. U. C. 645—689. (A. C. 109—65).

De T. Pomponio Attico exposituris, vulgato mori in magnorum virorum rebus tradendis videtur nobis satisfaciendum. A Pomponia igitur gente initium continuo faciamus, deque eâ brevissime absolvamus.

Gentis Pomponiae originem, teste Plutarcho [1], repetere antiquitus solebant a Pompone, Numae regis filio natu maximo [2], qui *οἴκου διαδοχὴν καὶ γένους*

[1] Plutarch. *vit. Num.* c. XXI; Dion. Hal. *Art. Rom.* Lib. II. c. 66. f. Hanc autem sententiam Pomponiae gentis denariis probari, docet A. Schottus in *Ind. ad Ann. Pighii*, Tom. III. pag. 620.

[2] Pater jam Numae, vir inter Sabinos perquam illustris, *Pomponius* appellatur a Plutarcho c. III, quem tamen Dion. Hal. *Pompilium Pomponem* vocat, l. l. c. 58.

ἐντίμου reliquisse ferebatur. Apparet hinc, gentem illam ad antiquissimas fuisse relatam, quippe cujus conditorem paucis jam ab urbe condita annis exstitisse credebant; apparet item, in nobilissimis eam habitam fuisse, regis filio stirpis auctore celebrato. Fuit autem gens Plebeja quidem, sed equestri dignitate vetustissimis jam temporibus ornata, quam a majoribus acceptam perpetuo posteri obtinuerunt [1]. Summis adeo ornati sunt Pomponii in republica Romana honoribus, ut Consulatu, Quaestura, Tribunatu Plebis, aliis bene multis magistratibus saepius fuerint functi [2]. Lapsu autem temporis Pomponia gens in varias coepta est familias distingui, cognominibus dico *Attici*, *Flacci*, *Mathonis*, *Molonis*, *Musae*, *Vituli*, aliis [3].

Ex hac igitur gente, antiquitate pariter atque nobilitate clarissima [4], ortus fuit T. Pomponius Atti-

1 Nepos *Vit. Att.* c. I. init.

2 Cf. Schottus l. l. voce POMPONIUS.

3 Schottus, pag. 620. Plures enumerat Ruperti, *Tabul. geneal. gent. Rom.* pag. 11.

Negat claram Attici originem Abbas de St. Réal, *Cesar.* p. 317, 333. Dicit enim: «*Il n' étoit que de l' Ordre des Chevaliers, c'est-à-dire, bon Bourgeois*," parum tenens, habitum olim fuisse equestrem ordinem *seminarium Senatus*, auctore Livio, Lib. XLII. c. 61. Cff. *Novellae reip. lit.* Dec. 1686, p. 1407, ibique laudatus libellus eruditissimi Rainssant, p. 32. sq. — Staverenus item ad Nep. l. l. minus nobilem Pomponiam gentem fuisse contendit, provocans ad Tac.

cus, Romae [1] d. VII. fortasse Id. Mart. [2] A. U. C. 645 (A. C. 109), Q. Caecilio Metello Numidico, M. Junio Silano Coss., natus. [3] De ejus parentibus perpauca ad nostram notitiam pervenerunt. Pater Attici, Pomponius, quem diligentem et, ut tum erant tempora, ditem, in primisque studiosum literarum e Nepote [4] cognoscimus, rebus civilibus sese immiscuisse non videtur, sed cum literarum universe, tum juris [5] studio ductus tranquillam „ab omni munere vacuam, vitam degisse. Uxorem autem habuit

Ann. Lib. II. c. 43; sed fallitur. Comparat Tacitus Germanici maternum genus cum Drusi proavis maternis. Illum igitur refert avum habuisse M. Antonium, avunculum Augustum, quo sane clarior inveniri vix quisquam in orbe Romano poterat; hunc verò narrat proavo usum esse Equite Romano, Pomponio Attico. Itaque hujus *plebejae* originis causâ Drusus dicitur materno genere inferior Germanico, eamque ille iccirco existimabat *patriciam* Claudiorum familiam dedecere, non quod *Pomponia* esset, sed quod *plebeja*.

1 Nepos c. III. § 3.

2 Est haec probabilis Corradi conjectura ad Lib. IX. *Epp. ad. Att.* Ep. 5. init.

3 Quum enim, teste Nepote, c. XXI. § 1. c. XXII. § 2., Atticus septuagesimo septimo aetatis anno decesserit, Cn. Domitio, C. Sosio Coss., qui Consulatum gesserunt A. U. C. 722 (721) (A. C. 32), ut in *Fastis Magistr. Rom.* exponit Pighius, *Ann.* Tom. III. p. XVII, annum U. C. 645 (A. C. 109) Attici fuisse natalem, non potest addubitari. Cf. Pighius Tom. I. Lib. I. p. 14.

4 Nepos c. I. § 2.

5 Ad eum *de potestate et jure* perite et diligenter scri-

illustrissima Plebeja gente oriundam, Caeciliam, e qua praeter Atticum Pomponiam filiam suscepit.

Patre natum, qui ipse studiis magnopere erat deditus, non mirum Atticum omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri eo tempore apud Romanos solebat, mature fuisse eruditum. Favebant autem disciplinae et egregie succurrebant praeclarae ingenii dotes, quae in puero elucebant, quarumque laudantur maxime ingenii docilitas et oris vocisque summa suavitas, ut non solum celeriter arriperet, quae a magistris ei tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Factum ita est, ut et ipse miros faceret in literis progressus et generosorum condiscipulorum, qui majores, ut fit, aequalis sui laudes iniquius ferebant, aemulationem studiumque vehementer excitaret. Nihilominus omnes suavi sua et officiosa consuetudine tantâ sibi conjunxit amicitiâ, ut neminem habuerint perpetuo cariorem [1]. In his praeter L. Torquatum, C. Marium, Q. Gellium Canum, alios, in primis fuit M. Tullius Cicero [2], triennio Attico minor [3], quem, non moribus modo, sed eximia

psisse M. Junium Sodalem, auctor nobis est Cicero, *de Legg.* Lib. III. c. 20. § 49. — Ceterum de Attici patre nulla, quoad scio, apud veteres mentio fit, ut praeter gentile nec nomen ejus, nec uxoris traditum inveniamus.

[1] Nepos c. I. § 2-4.

[2] Nepos l. l. § 4, c. X. § 3.

[3] Natus enim Cicero est C. Atilio Serrano, Q. Servilio

etiam ad doctrinas indole, ut aliunde novimus [1], sui simillimum, jam tum tenacissimo familiaritatis et amoris vinculo sibi devincire coepit. Uterque a primo tempore aetatis, juris studiosus, ad Q. Mucii Scaevolae domum ventitare solebat, ut gravem hunc virum, juris peritorum eloquentissimum, eloquentium juris peritissimum [2], de solio suo disputantem et gravissimas juris quaestiones explicantem audiret [3].

Patet inde, ni fallor, potuisse Atticum, naturâ magnis dotibus instructum et e praeclara disciplina

Caepione Coss. Vidd. Corradi *Quaestura*, ed. Ern. p. 15; Abeken, *Cicero in seinen Briefen*, pag. 2. Uterque autem illo magistratu functi sunt A. U. C. 648 (647) (A. C. 106), quod docet Pighius, *Ann.* Tom II. p. XVI. Hinc manifestus est Middletoni error, *Leven v. Cic. vert. door Zillesen* Tom, II. p. 61, Tullium Attico *uno* tantum anno minorem referentis.

[1] Plutarch, *vit. Cic.* c. II.

[2] Cic. *de Orat.* Lib. I. c. 39. § 180.

[3] Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 4. § 13. Eodem fere tempore Epicureus Phaedrus Romam devertit, quo magistro usus est Tullius. Cff. Middlet., Tom. I. p. 22; Wielandus, Tom I. p. 8; Abeken p. 8 et J. A. C. van Heusde, *M. Tullius Cicero Φιλοπλ.* p. 72. Propter similitudinem autem studiorum et societatem, quae Attico cum Cicerone fuit, tum vero etiam propter studium, quo ille postea eundem philosophum eandemque disciplinam prosecutus est, eo adducor, ut a veritate haud longe abesse existimem, Atticum, viginti fere annorum adolescentem, Romae quoque, una cum Cicerone, animum ad sapientiae studium applicuisse, Phaedrumque habuisse in Epicurea philosophia ducem.

profectum, eo facile pervenire, ut in aequalium numero ipsum sagacitate, judicio, doctrinae laude nemo fere antecederet. Quod quidem luculente probatum deinde suo loco videbimus, praesertim ubi de Attici studiis datâ operâ egerimus. Sed vel sic tamen dolendum quam maxime est, tam pauca de Attico cum puero tum adolescente ab antiquis fuisse notata; quae si plenius uberiusque cognoscere liceret, procul dubio multum facerent, ut de viro etiam rectius posset existimari. Solet enim adolescentia maxime indicare, quid de virili aetate vel metuendum sit vel sperandum. Nunc, quamvis invitos, his contentos esse et ad reliqua continuo pergere nos cogit scriptorum silentium.

Eo igitur, quo diximus, studio in literas elegantiores incumbens, ut ab iis avellere ipsum nihil posset, Atticus vicesimum primum aetatis annum complevit. Respublica Romana, licet externis bellis graviter concussa, licet sinu fovens perniciosa civilium dissensionum semina, seditionibus quidem saepius fuerat agitata, ab internis tamen et civilibus bellis intacta manserat. Quae vero Sullam inter et Marium jamdudum invaluerat invidiosa altercatio, ea mox tantâ vi eruptura videbatur et vero mox erupit, ut rerum statum paene totum converteret et letale civitati vulnus inflictura putaretur. P. Sulpicius, Tribunus Plebis, postquam Marii fautor Sullae provinciam una cum Mithridatico bello adimendam esse decre-

verat, hic autem urbem hostiliter ingressus armis ceperat, hostis reipublicae judicatus est et morte sua, non sine magno reipublicae malo, temeritatis poenam solvit [1]. Hinc magnum natum Attico discrimen. Sulpicio, cujus frater Servius Aniciam, Pomponii consobrinam, uxorem duxerat, non affinitate tantum, sed amicitia [2] ita erat junctus, ut ejus periculi non expers esse videretur [3]. Pater Attici mature decesserat, ut juvenis in mediis civilibus undis, quae in dies magis exaestuare coeperunt, ab optimo consiliorum auctore destitutus, fere solus versaretur. Alii civium Sullanis, alii Cinnanis partibus favebant; neutrarum esse nemini licebat. Quid igitur Atticus? Arma caperet inque mediam sese immitteret civilis discordiae flammam? At quid foedius, quid bono cive indignius, quam armatum patriam impugnare, commaculare manus et delectari sanguine ac caede civili? An vero otiosus ipsis oculis atrocissima facinora intueretur? At neque summus Attici id sinebat patriae amor nec patiebatur seditiosa civitas. Hoc igitur solum supererat Attico refugium, ut quam insanam multitudinem sedare, quam patriae calamitatem avertere non poterat, eam honesto exsilio prudenter evitaret. Quum adeo ille intelligeret,

[1] Appianus *B. C.* Lib. I. c. 55-60. Cf. Cic. *de Orat.* Lib. III. c. 3. § 11.

[2] Cic. *de Amic.* c. I.

[3] Nepos c. II. § 1

sibi non dari facultatem pro dignitate vivendi, quia alterutram partem offenderet, urbem mature relinquere statuit, et idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas potissimum itineris hospitium studiorumque gymnasium delegit [1].

Hisce honestis rationibus motus Atticus, annum agens vicesimum tertium, Athenas migravit. Quantae autem stragi quantoque periculo suo se itinere subduxerit, ex historicis novimus. Sulla enim, bello Mithridatico confecto, victor ingressus Romam, eo proruit licentiae atque crudelitatis, ut eorum, qui vel Mario favissent vel neutri parti addicti civilibus turbis sese non immiscuissent, supra centum millia occidisse dicatur, in quibus Senatores nonaginta, Consules et Consulares quindecim, Equites bis mille sexcentos; qui omnes ipsius jussu partim interfecti sunt, partim in exsilium ejecti [2]. At hic nobile Attici ingenium animadvertere lubet. Cum patre et aliis compluribus extorris vagari Sullanis proscriptionibus Marius filius cogebatur egenusque alibi victum quaerere [3]. Quod quum comperisset Atticus, miserum sodalem ita benevole juvit opibus suis, ut ejus inopiam fugamque liberaliter pecuniâ sublevaret [4]. Tantum aberat, ut sui unius observantissimus esset suâque in rebus trepidis

[1] Nepos c. II. § 2.
[2] Appianus *B. C.* Lib. I. c. 103.
[3] Appianus l. l. c. 60.
[4] Nepos l. l.

salute contentus, ut aliorum infortunio tanquam suo moveretur iisque, ut aliunde quoque constat, succurrere nunquam negligeret.

Pomponius, domo prope Ilissum fluvium in agro Attico sibi comparatâ [1], ne quid illa peregrinatio detrimenti afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum [2]. Republicâ enim adeo quassatâ, timere omnia poterat, idque postea eventus probavit. Nam, quum in multos insontes saeviretur, « adjectum, ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur » [3]. Neque praevidere urbem relinquens Atticus potuerat, quod mox factum est, se in tantam Sullae victoris familiaritatem perventurum, ut ipse ab omni foret proscriptionum periculo securus. Vix enim quatuor annos Athenis degerat, quin Sulla cum victore exercitu ex Asia decedens eodem appulerit. Is, expugnatâ urbe, qua ipse erat literarum cognitione imbutus et erga literatos doctosque homines benevolentiâ, celeriter in Atticum incidit, tantoque eum

[1] Probatur loco Cic. *de Legg.* Lib. I. c. I. § 3, ubi Atticum rogat, an verum sit, non longe ab ejus antiqua domo Orithyiam ab Aquilone fuisse sublatam. Hoc autem ἀπὸ τοῦ Ἰλισσοῦ factum crediderunt, ut e Platone apparet, *Phaedr* p. 229. B.

[2] Nepos c. II. § 3.

[3] Vell. Pat. *Hist. Rom.* Lib. II. c. 28. § 4; Plutarch. *vit. Sull.* c. XXXI.

amore complexus est, ut quamdiu Athenis versaretur, illum secum haberet, captus adolescentis et humanitate et doctrinâ. Inde persuadere Attico nitebatur, ut Athenas relinqueret et, tranquillâ, quam illic instituerat, vivendi agendique ratione relictâ, Romam in medias turbas caedesque se conjiceret. Sed neque amicitia nec preces quidquam valuerunt; propositi tenax constanter reditum negavit. « Noli, oro te, » inquit, « adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. » Non poterat non Sulla hoc adolescentis officium collaudare; quapropter responso acquievit, sed Romam rediens omnia munera, quae Athenis acceperat, ei jussit deferri [1]. Videamus jam, qua ratione Atticus inter Athenienses vitam transegerit.

Uti studiorum gratiâ Athenas potissimum Pomponius se contulerat, ita literis et philosophiae naviter operam dedit; qua in re mox socium nactus est variâ doctrinae laude inter aequales nobilissimum, M. Tullium Ciceronem. Hic, pari philosophiae amore flagrans, in celeberrimam illam et antiquissimam doctrinarum sedem juvenis profectus, veterem et condiscipulatum et vero amicitiam cum Attico renovavit, quae talis aliquando evasit, qualis inter probos demum iisdemque studiis ductos homines esse possit. Eodem literarum ardore, eodem imbuti pulchri

Nepos c. VI. § 1. 2.

verique sensu, iisdem fere moribus praediti, fieri aliter vix potuit, quin quotidiana consuetudine eum in modum conjugarentur, ut ille tandem neminem nec cariorem haberet nec jucundiorem Attico, hic in amicitia Ciceroni primas deferret [1]. Talem igitur studiorum socium nactus, Atticus Phaedrum et senem Zenonem, Epicureos, frequenter audivit, quum miraretur quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret. Quae autem de celeberrimis illis doctoribus audierant, ea quotidie inter se conferre sedulo solebant deque iis amice disputare [2]. Verum non Epicuri tantum placita cognoscere Pomponius studuit, sed Academicorum etiam disciplinae operam dedit. Vigebat eo tempore nobilissimus ejus scholae antistes, Ascalonita Antiochus, Philonis discipulus. Multis nobilioribus Atheniensibus, belli Mithridatici tempore, Romam confugientibus, Antiochus remansit, nec Sullae victori ingratus fuisse videtur [3]. Hunc

[1] Nepos c. V. § 3. c. XVI. § 2. Plurimis locis Cicero, quanti Atticum faciat, in Epp. testatur. Vidd. *ad. Att.* Lib. I. Ep. 5. § 8. f.; Ep. 17. § 5; Lib. V. Ep. 1. § 5; Lib. XVI. Ep. 16. App. A. § 7., App. F. § 17.; *ad Div.* Lib. XIII. Ep. I. § 5.

[2] Cic. *de Fin.* Lib. I. c. 5. § 16. Cf. Lib. V. c. 1. § 3; *de Legg.* Lib. I. c. 20. § 53; *ad Att.* Lib. V. Ep. 11. § 6; Lib. XVI. Ep. 7. § 4.

[3] Cf. J. A. C. van Heusde, l. l. p. 112, qui recte conjicit, Attici benevolentiae et apud Sullam gratiae Antiochum id debuisse. Idem de Antiochi philosophandi ratione optime exponit p. 73-91.

igitur celebrem virum cum Marco, Quinto, Lucio Ciceronibus, adjuncto M. Pisone, in Ptolemaeo gymnasio Atticum audivisse constat ejusque amore captum familiaris loco habuisse [1]. Quem autem fructum inde Atticus sibi perceperit, alio loco pertractabimus. Hic sufficit cum Nepote animadvertisse, eum principum philosophorum ita percepta habuisse praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur [2]. Philosophiae accessit praeclara mysteriorum doctrina, quibus et Pomponius et, hujus fortasse impulsu, Cicero se initiandum curavit. Ut philosophiae ope animum excolere tum didicit et ad virtutem informare, sic ex initiis illis vera quoque principia vitae cognovit: neque solum cum laetitia vivendi accepit rationem, sed etiam cum spe meliore moriendi [3].

Non autem existimet quis velim, sibi uni Athenis Atticum vixisse, aliorum res prae suis contempsisse. Contrarium patuit jam e Marii exemplo; sed praeterea, quam diu illic est moratus, plurimum curae Atheniensium reipublicae tribuit; rei familiari tantum operae dedit, quantum non indiligentis esset patrisfamilias [4]. Quibus quidem opibus magnam partem sic usus est, ut summam sibi gratiam et bene-

[1] Cic. *de Fin.* Lib. V. c. 1. init.; *Acad.* Lib. 1. c. 4. § 14.
[2] Nepos c. XVII. § 3.
[3] Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 14. § 35, 36.
[4] Nepos c. IV. § 3.

volentiam apud Athenienses conciliaret, ut omnes eum tanquam communem civitatis suae εὐεργέτην et colerent et summis prosequerentur honoribus. Satis afflictâ isto tempore conditione utebatur civitas [1], magnâque in primis laborabat pecuniae inopiâ. Exhausto aerario versuram faciendo frustra succurrere conabantur propter ingentes, quas poscebant foeneratores, usuras, ut eas multiplicare saepius essent coacti, ipsa autem nomina difficilius in dies solvenda inveterascerent. Quod videns Atticus eam iniit rationem, ut, quum versuram facere publice necesse erat, neque ejus conditionem aequam habebant, semper se interponeret et, mirâ integritate usus, neque usuram unquam ab iis acciperet, neque longius, quam dictum esset, eos debere pateretur. Praeclarum sane et splendidum ipsisque Atheniensibus salutare consilium! « Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere [2] ».

Ejusmodi Pomponii fuit apud Athenienses vivendi agendique ratio, ejusmodi in Athenarum rempublicam merita, quae quidem a civibus justo suo pretio fuisse aestimata, memoriae proditum invenimus. Illi enim, quum civem viderent Romanum, hospitem, qui tantâ curâ in reipublicae et formam in-

[1] De ea vide J. A. C. v. Heusde, p. 103 sqq.

[2] Nepos c. II. § 4, 5. Legantur ad h. l. in primis, quae notavit Cons. J. P. de Fremery, *Obss. Juris ad quaed. Nep. loca in vita Att.* L. B. 1823, p. 6. sqq.

quireret et conditionem, quantâ vel optimus civis Atheniensis, qui variis nominibus ipsorum saluti consuleret, qui eâ esset humanitate ac gravitate, ut communis infimis, par principibus videretur; tot tantorumque beneficiorum admiratione cuncti reapse tenebantur nec poterant non grato pectore recolere. Quid igitur? Omnes, quos poterant, honores Attico habuerunt, civitatem obtulerunt, statuas publice decreverunt [1]. Quae sane summa amoris atque aestimationis fuere indicia. Ut enim statuae gloriam mittam, maximum in antiquis gentibus ductum civitatis honorem fuisse ingentique studio fere expetitum, testis nobis fidissima est ipsarum gentium historia [2]. Recesserant certe multum ea aetate a pristino vigore et gloria Athenae, non idem erat adeo, qui antea, civitatis honos [3]; sed honos mansit et, qualiscunque tandem hic fuit, grati Atheniensium erga Atticum animi luculentissimum est testimonium. At vero Atticus neutrum accipere voluit. Parum delectabatur vanâ statuae gloriolâ. Suae patriae amantior erat quam ut cum altera eam commutaret [4]. Benefactis suis non auctoritatem neque dignitatem

[1] Nepos c. III. § 1.

[2] Vid. hac de re Cl. Heusdii *Diatr. in civitates antiq.* p. 51. sqq.

[3] Cf. Meursius *Fortun. Attic.* c. V. p. 36.

[4] Eo spectat glossema, quod in Nepotis locum irrepsit: »Quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem, aliâ adscitâ"; quod re vera obtinuisse discimus ex *Orat.* Ciceronis *pro Balbo* c. 11. Cf. Cons. de Fremery l. l. p. 9. sqq.

sibi conquirere studebat, sed benevolentiam amoremque hospitum, quorum grati animi ipsi erant mille statuarum, mille civitatum instar. « Quamdiu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi postea locis sanctissimis posuerunt [1].

Et sic quidem Pomponius per duos fere et viginti annos, ab omnibus cultus, Athenis est commoratus. Diuturna autem hac commoratione tantam sibi Graeci sermonis comparaverat cognitionem et elocutionis puritatem, ut Athenis ipsis natus videretur [2], tantam sibi conciliaverat morum humanitatem [3], ita omnino se ibidem collocaverat, *ut esset paene unus ex Atticis* [4].

Frustra loci auctoritatem tueri conatur Lieberkuehnius, p. 100. Non opus habebat Nepos, ut tale quid lectores suos doceret; si habuisset, fecisset alio modo aliisque verbis.

[1] Nepos l. l. § 2. Posteriora verba satis sunt ab interpretibus tentata, quibus adde Tunstallum, *Epist. ad Middlet.* p. 126 in not., qui vulgatam lectionem *aliquot ipsi et Phidiae* conjecturâ mutandam censuit in *aliquot ipsi et reipublicae.* Omisso *et Phidiae* recepi *postea*, quod et simplicissimum est et sensum exhibet commodissimum. Quid proprie scribi oporteat, nemo facile dixerit; sed num de nomine proprio cogitandum sit, valde dubito.

[2] Nepos c. IV. § 1.

[3] Cic. *de Senect.* c. I.

[4] Cic. *de Fin.* Lib. V. c. 2. § 4. Ex his ipsis verbis explicari optime possit, quare subinde Cicero Athenienses Attici *cives* nominet, e. g. Lib. I. *ad Att.* Ep. 16. § 4. Sic Lib. II. Ep. 1. § 3. *civis ille tuus Demosthenes.* Similiter Lib. II. *de Legg.*

Hinc actum, ut Romam tandem reversus *Attici* cognomine vulgo appellaretur, quo antea usus non fuerat[1]. Nec mirum. Uti enim Roma eum genuerat, ita Athenae benevole exceperant et per plurimorum annorum spatium tutum ei exstiterant periculorum refugium variaeque doctrinae gymnasium. Itaque Athenas quasi alteram patriam habere et diuturno hospitio civis Atheniensis factus esse videbatur. Ipse autem Athenas cur tanto fuerit amore complexus, apud Ciceronem declarat: « Movemur, » inquit, « nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. »[2]

c. 2. § 5. *vestri Attici;* ibid. c. 26. § 66. *Athenienses tui; ad. Att.* Lib. X. Ep. 1. § 2. *Solonis popularis tui;* Lib. XIII. Ep. 35. init. *Gentilis tuus;* denique *de Legg.* Lib. I. c. 1. § 2, Lib. II. c. 14. § 36, *Brut.* c. VII. § 26., *ad Att.* Lib. XVI. Ep. 6. § 2. *Athenae tuae;* Lib. I. autem Ep. 20. § 6. diserte *Graecum* eum vocat.

[1] Probatur hoc l. l. *de Fin.*, cujus sermo Athenis habitus esse fingitur iis ipsis diebus, quibus illic cum Pomponio Cicero versabatur. Addit enim superioribus verbis, *ut id etiam cognomen videatur habiturus.*

[2] Cic. *de Legg.* Lib. II. C. 2. § 4.

Neque tamen Atticus, quamdiu Roma abfuit, amicorum res urbanaque officia neglexit. Etsi enim Athenis satis multis negotiis erat impeditus, si qui tamen ex ejus familiaribus vel Consulatum Romae petebant vel alium quendam magistratum, Atticus praesto plerumque iis fuit ad eorumque comitia ventitavit; verbo, si qua res major acta est, non defuit [1]. Ita quum Q. Cicero Aedilitium munus esset petiturus, Romam comitiorum tempore proficisci statuit [2]. M. autem Ciceroni Praeturam ambienti simile officium praestare voluit et praestitisset etiam, nisi ab ipso fuisset prohibitus, sic scribente: « De comitiis meis et tibi me permisisse memini et ego jampridem hoc communibus amicis, qui te exspectant, praedico: te non modo non arcessi a me, sed prohiberi, quod intelligam multo magis interesse tua te agere, quod agendum est hoc tempore, quam mea te adesse comitiis. Proinde eo animo te velim esse, quasi mei negotii causa in ista loca missus esses. Me autem eum et offendes erga te et audies, quasi mihi, si quae parta erunt, non modo te praesente, sed per te parta sint [3]». Interea tamen Atticum magnum cepit patriae urbis desiderium, pristinis tum turbis liberatae. Post Sullae obitum, quae cum Sertorio, Spartaco, piratis exstiterant bella,

[1] Nepos c. IV. § 4.
[2] Cic. *ad Att.* Lib. I. Ep. 4. § 1.
[3] Lib. I. Ep. 10. § 6.

ducum prudentiâ militumque virtute feliciter fuerant peracta; interna reipublicae conditio satis tranquilla manserat. Romae veram habebat patriam, quae una omnes omnino caritates in se complecteretur; Romae amicos cognatosque, quibus et vivere et auxilio esse omnium maxime cupiebat. Jam continuo opportunitatem ei gratissimam praebebant consularia, quae mox instabant, Ciceronis comitia, quibus hic tantum abfuit, ut, quemadmodum antea in ambienda Praetura, amicum adesse nollet, ut summo etiam studio eum exoptaret. Hisce igitur de causis Atticus Athenis suis valedicere constituit Romamque remigrare, quod quidem propositum peregit tandem L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato Coss., A. U. C. 689 (A. C. 65) ad finem vergente[1]; quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem indicaret[2]".

Haec sunt, quae de Attico ad quintum et quadragesimum aetatis annum ineuntem ab antiquis memoriae sunt prodita. Videri sane ea breviora possunt, imo debent, si tot annorum seriem cogitas. Si vero

[1] Lib 1. Ep. 2. § 2. f. Nepos c. IV. § 5. Aliter Abeken p. 35, qui e Ciceronis loco mense demum Januario insequentis anni Romam eum rediisse opinatur; quod nec necesse est et Nepoti quodammodo obstat.

[2] Nepos l. l. Quanto postea quoque desiderio Attici ducti Athenienses fuerint, docemur a Cic. *ad Att.* Lib. V. Ep. 10. § 1, 5.

reputaveris, praeter Nepotem et pauca quaedam Ciceronis loca, hic illic dispersa, nihil exstare, unde Pomponii res illo temporis spatio gestas cognoscas, si animadverteris eum, duos et viginti annos peregrinantem, privatam fere vitam degisse nec publicis negotiis ita immixtam, ut magnas in civitate partes egerit, tum sane gaudere licebit, pauca illa, quae scripto mandata sunt, talia esse, e quibus ad ceteram quoque viri vitam dijudicandam clarâ luce affundamur. Jam vero latior nobis apertus est dicendi campus, quum ad Nepotem accedat fons ille unus in paucis praestantissimus, *M. Tullii Ciceronis Epistolarum libri*, quibus ut adhuc parcius tantum uti potuimus, ita deinde ad interiorem etiam Attici imaginem intuendam janua nobis aperietur.

Caput Secundum.

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS QUADRAGESIMO QUARTO AD UNDESEXAGESIMUM.

Ab A. U. C. 690—704. (A. C. 64—50).

In causis, quae Attici reditum maturarunt, primaria, ut diximus, fuit Tulliana. Consulatum enim petiturus, plures Cicero sibi videbatur esse habiturus competitores, P. Galbam, C. Antonium, Q. Cornificium, L. Catilinam, alios [1]. Deinde in nobilibus habebat, quos vel offenderat vel sibi parum amicos existimabat, in quibus Q. Hortensium, L. Lucullum, M. Crassum, C. Caesarem [2]. Praeterea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret [3]. Denique verendum erat ne, si Pompejus, qui in Asia adversus Mithridatem bellum gerebat, ante comitia rediisset,

[1] Cic. *ad Att.* Lib. I. Ep. 1. § 1.
[2] Cf. Corradus ad Lib. I. Ep. 2. § 2.
[3] Sallust. *B. C.* c. XXIII. f.

magnam secum manum adduceret, quae Ciceroni Consulatum praeriperet. Icoirco Atticum in Graecia absentem, quoniam propius abesset, rogaverat, ut apud Pompejum ea curaret, efficeretque, ut is non dimitteret, quos in suo comitatu nobiles viros habebat [1]. Eo magis autem Attici auxilium Cicero imploraverat, quod, quos nobiles homines suo honori adversarios se habiturum opinabatur, eos omnes Attici familiares cognoverat [2]. Nam, licet hic tam diu Româ abfuisset, aliquoties tamen eo reversus plurimos dignitate et honoribus in republica conspicuos viros sibi amicitiâ vel conjunxerat vel conjunctos magis etiam obstrinxerat. Quamquam autem quid ad Ciceronis designationem Atticus contulerit, proprie ignoramus, vel sic tamen plurimum spei in illo Tullium posuisse satis constat et, si quid ex iis, quae post Consulatum de Attici in se officiis universe pronuntiat, statuere licet, tum certe non dubitamus affirmare, tantum et ante et per Consulatum ab Attico in Ciceronem fuisse profectum, quantum ab intimo amore summâque fide proficisci potuerit [3]. Per

[1] Lib. I. Ep. 1. § 2. Secutus sum Schuetzianam loci interpretationem, quae alteri videtur praestare.

[2] Lib. I. Ep. 2. § 2. Non dubitare se ait Wielandus, *Cicero's sämmtliche Briefe*, Tom. I. p. 259, quin illo tempore Attici industria in eo ante omnia a Cicerone desideraretur, ut Crassum et Caesarem, Lucullum et Hortensium ipsi conciliaret, idque idoneis argumentis explicat.

[3] Cff. Wielandus Tom. I. p. 260; Abeken p. 31.

omne petitionis et ipsius Consulatus tempus Romae mansit, nec prudentiâ solum suâ consiliisque in dubiis et difficillimae naturae rebus Ciceroni praesto fuisse videtur, sed re etiam praeclare operam navasse, cujus quidem hoc insigne putari documentum meretur. Quum enim ille, Catilinariis rebus, nobilissimos quosque Equestris ordinis in Concordiae aedem hoc proposito convocasset, ut communem deinde rem cum Senatu facerent, Atticus, qui haud infimum gratiae locum apud suos tenebat, congregatis in clivo Capitolino Equitibus signifer exstitit ac princeps [1], atque ita plurimum contulisse dici debet ad praesidium illud tum Ciceroni tum reipublicae etiam salutare constituendum. Attico igitur sua magnaque merita assignanda videntur, ubi, quod Plinio praeëunte statui fere solet, Ciceronis operâ factum fuisse creditur, ut ordo Equester cum Senatu conjungi et tanquam tertium in republica corpus stabiliri coeptus sit. [2]

Triennium fere [3] in patria urbe moratus, At-

[1] Cic. *ad Att.* Lib. II. Ep. 1. § 7, ad q. l. vid. Mongaltius, Tom. I. p. 301 sq. Cff. Cic. *Phil.* II. c. 7; Middletonus l. l. Tom. I. p. 184; Wielandus Tom. I. p. 62.

[2] Plin. *H. N.* Lib. XXXIII. c. 2. Cf. Cic. *Catil.* IV. c. 7. f; *Phil.* II. c. 8.

[3] Effici hoc inde possit, quod ante Ep. 12., ipsis Kal. Jan. A. U. C. 693 (A. C. 61) scriptam, nulla prior reperitur Ciceronis ad Atticum Epistola; quamquam simul dubium videri debet, annon una vel plures Epistolae, ante Ep. 12

ticus in Epirum, ubi plurimas habebat possessiones, sese convertit, ut et studiis satisfaceret suis et magna, quibus impediebatur, negotia conficeret. Et primum quidem in vicinam Macedoniam, cujus Proconsul M. Antonius Attico in primis erat familiaris [1], malâ quorundam provincialium fide proficisci cogebatur. Quum enim pecuniam, quam mutuo iis dederat, accipere statuto tempore non posset, Antonii auctoritate, sicut post Octavii, ejusdem provinciae Propraetoris, ut sibi ea rèstitueretur, impetrare studuit [2], quamquam haec causa non tantam ei peperit molestiam, quantam eodem tempore a Sicyoniis, civitatis cujusdam in Achaja incolis, passus est. Nam hi quoque debitam Attico pecuniam solvere detrectabant, freti Senatusconsulto, cui, licet aliis de rebus facto, hoc fuerat a M. Catone et P. Servilio sine causa additum, *ut liberi populi solvere ne cogerentur* [3]. Hujus autem

missae, cum aliis interciderint, ut dudum monuerunt interpretes.

[1] Nepos c. XX. § 4.

[2] Cic. *ad Att.* Lib. II. Ep. 1. § 12. Exstant etiam literae commendatitiae Ciceronis, quas Atticus Antonio, quo magis eam causam urgeret, redderet. Vid. *ad Div.* Lib. V. Ep. 5.

[3] *ad Att.* Lib. 1. Ep. 13. § I; Ep. 19. § 9; Lib. II. Ep. 1. § 10. Hanc pecuniam quominus ab Attico *Publicano* exactam fuisse statuamus, prohibent loca Ciceronis, ubi in Epistolis, hoc tempore scriptis, de Publicanis agit, unde

Senatusconsulti inducendi maturitas non erat: quod, uti a Cicerone, qui ei rei mederi frustra studebat, edocebatur, neque erant, qui quererentur, et multi partim malevolentiâ, partim opinione aequitatis delectabantur [1]. Quum igitur Pomponius judicio cum Sicyoniis agere post decretum illud vetaretur, in blanditiis omnem spem reponere jubebatur; quae quidem, etsi quomodo ei cesserit nescimus, variis tamen fuit curis ac difficultatibus agitata et sero demum ad exitum venire potuit [2].

Sororem Attici, Pomponiam, duxerat Q. Cicero, easque nuptias Marcus frater conciliaverat [3]. Longe tamen aberat, ut felix esset illa conjunctio habenda, propter perpetuas inter conjuges rixas, jam primo

colligi possit, Atticum cum iis nihil habuisse commune; tum vero maxime obstant Nepotis verba c. VI. § 3. Iisdem de causis cum quibusdam interpretibus statuere vereor, Atticum pecuniam mancipibus ipsis suppeditasse, quam a Sicyoniis repeteret. Accedit, quod tum agendum illi proprie cum Publicanis fuisset, quorum ne verbo quidem, quoties de ea re agitur, mentio a Cicerone fit. Restat, ut sumamus, quod causâ Macedonicâ satis fit probabile, pecuniam illam ab Attico quibusdam Sicyoniis, vel potius, ut prius Athenis, toti civitati fuisse creditam, Sicyonios vero, Senatusconsulto fretos, eam reddere noluisse, ut qui cogi ad solvendum non possent.

1 Lib. I. Ep. 20. § 4.

2 Certe m. Quintili A. U. C. 695 (A. C. 59) quaestio perdurabat, ut probat Lib. II. Ep. 21. f.

3 Nepos c. V. § 3.

conjugii anno ortas [1], quas sedare assidua tum M. Ciceronis tum Pomponii cura in tempus tantum potuit, quo offensiori animo postea renovarentur [2]. Magnam tamen stabiliverunt illae nuptiae Quintum inter et Atticum consuetudinem, qua factum, ut ille hisce temporibus Asiae Praetor designatus hunc postularet, qui secum legati loco in provinciam proficisceretur. Idem magnopere cupiebat Marcus, quem haud latebat iracunda fratris indoles, quae exsistere ei causa solebat, ut ipse ad se regendum duce ac moderatore indigere videretur. Verum Atticus, uti a publicis honoribus abhorrebat, multorumque Consulum et Praetorum praefecturas sibi delatas accipere noluerat, ita illum quoque magistratum, invito Marco, irato Quinto, constanter abnegavit. Parum ei muneris arridebat splendor, quod geri sine suspicione criminum non posset; neque suae consulere dignitati videba-

1 *ad Att.* Lib. I. Ep. 5. § 2.

2 Saepius hujus discordiae mentio fit. Vid. e. g. *ad Att.* Lib. V. Ep. 1. § 3, 4. Videtur autem Quinti ac Pomponiae ingenium tale fuisse, ut conciliari sibi vix possent. Ille currenti erat animo, mire volatico atque inconstanti, indeque ad iram promptissimo; haec sumptuosa, imperiosa, verbis vultuque aspera. Filius, ex eo matrimonio natus, insignis vanitate et stomachosus juvenis, parentum rixas saepius si non excitare, alere certe solebat. Tandem divortium factum, Lib. XIV. Ep. 17. § 3. Cff. Corradus, *Quaest.* p. 280 sqq.; Wielandus, Tom. I. p. 233; Abeken p. 220.

tur, si qui Praeturam gerere noluisset, is assecla esset Praetoris [1].

In Epiro Atticus duos annos integros est commoratus [2], et diutius fortasse in villa mansisset, nisi ejus officia et consilia a Cicerone tanto ardore fuissent implorata [3], ut resistere amici precibus nollet et Romam devertere statueret. Angebat Ciceronem vehementer reipublicae status, unde quae mala essent nascitura pro sua prudentia satis perspiciebat. Inierant Caesar, Pompejus et Crassus potentiae illam societatem, «quae urbi orbique terrarum», ut Vellejus ait, « nec minus, diverso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit» [4]. Nihil igitur de republica cogitare Tullius statuerat [5], quapropter Attico aliquamdiu sollicitudinum socio usus, hoc ipso verisimiliter suadente, procul Româ afflictum animum in villa recreare studiis conabatur [6]. Plenae ab hoc inde tempore Ciceronis sunt Epistolae variis de rerum statu quaestionibus, variis item monitis ac precibus. Valde Pomponium adhortatur, ut, si quid Pompeji familiaris, Theophanes, de illius erga Ciceronem

[1] Nepos c VI. § 4.
[2] Efficio ex Lib. II. Ep. 3. § 3. f.
[3] Lib. I. Ep. 17. § 11. f.; Ep. 18. § 8; Ep. 19. § 11; Ep. 20. § 7. f.
[4] Vell. Pat. *H. R.* Lib. II. c. 45. § 1.
[5] Lib. II. Ep. 4. § 4. Cf. Ep. 22. § 3.
[6] Lib. II. Ep. 4. § 2.; Ep. 14.

animo cum ipso contulerit [1], quid Crassi assecla, Arrius, narret, ecqui Consules parentur, ne omnino repudiet scribere [2]. In primis quid de Clodio fiat, quos cum eo ejusque sorore miscuerit Atticus sermones [3], ut sibi nuntiet rogat, eaque etiam vult omnibus vestigiis indagata ad se afferat, scribatque, si forte quid intelligat aut suspicetur [4]. Ponderosam ab eo poscit aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed ipsius etiam opinionum [5]. Et vero, uti ex iisdem illis Epistolis colligere licet, Atticus iis in rebus singulari plane fide et constantia amico satisfecit. Clodii [6] enim et summorum in republica virorum familiarem, quae in urbe agerentur latere Pomponium non poterant, audita autem ad Ciceronem literis perferebat. Occulta ei ostendebat consilia, quae triumviri quotidie struebant, exponebat de cogitatione Clodii deque seditiosae ejus sororis machinationibus, de literis a Caesare ad Pompejum missis, de Theophanis Memmiique sermone, de rebus Bibuli aliisque, quae memoriâ digna

[1] Cf. Lib. II. Ep. 17. § 3.

[2] Ep. 5. § 2, 3.

[3] Ep. 9. § 1.

[4] Ep. 7. § 2.

[5] Ep. 11. § 1.

[6] Jocose hunc Cicero Lib. II. Ep. 9. § 3. Attici *sodalem* vocat. Similiter Ep. 15. § 2: »Ut illo tu careas, non video posse fieri."

Romae agebantur [1]. E Theophane in primis studiose expiscabatur, quonam in Ciceronem esset Pompejus animo idque, ut vocat Cicero, quaerere κατὰ τὸ κηδεμονικὸν solebat ab eoque ad Tullium quasi ὑποθήκας afferre, quemadmodum se gereret, ut ita aliquid ex ejus sermone περὶ τῶν ὅλων posset suspicari [2]. Quorum omnium rationem habens Cicero, posteaquam ex Antiati in Formianum venerat, plane sibi relegatus videbatur, quandoquidem Româ remotior rerum ibi gestarum parcius poterat nuntios ab Attico accipere. « Dies nullus erat», inquit, « Antii quum essem, quo die non melius scirem, Romae quid ageretur, quam ii, qui erant Romae. Etenim literae tuae non solum quid Romae, sed etiam quid in republica, neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset, indicabant. Nunc, nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus» [3]. Romae enim sibi videbatur esse, quum Attici literas legebat, et, ut fit in tantis rebus, modo hoc, modo illud audire [4].

Uti in omnibus fere negotiis, ita in civilibus quoque mira quaedam Attico intercedere cum Cicerone

[1] Lib. II. Ep. 12. § 1, 2. Cff. Ep. 13. § 1; Ep. 14. § 1; Ep 15. § 2; Ep. 16. § 1.
[2] Ep. 17. § 3.
[3] Ep. 11. § 1.
[4] Ep. 15. § 1.

solebat opinionum sententiarumque convenientia [1]. Ipse adeo Pomponius mala omnia e triumviratu reipublicae nascitura probe sentiebat nihilque censebat non timendum, Pompeji in primis consilia eo valere potissimum existimans, ut aperte tyrannidem affectaret [2]. In Clodii tamen consiliis dijudicandis Tullius verius conjiciebat meritoque iis statuebat diffidendum. Videtur enim Atticus nimiam posuisse in Clodio fidem, ut cum plurimis optimatibus speraret fore, ut ille in Tribunatu Plebis, quem affectaret, Caesaris acta rescinderet atque ita reipublicae praeclare prodesset, simulato Clodii in triumviros, horum in Clodium odio deceptus [3]. Quod quidem Cicero, quum adversarii insidias acute perspiceret, familiari joco solebat perstringere, quo et a sententia Atticum revocaret [4] et ei persuaderet simul, ut, quoad posset, Clodium in triumviratum incenderet, unam quae remaneret publicae salutis spem ratus illorum inter semet ipsos dissensionem [5]. Hoc Attici cum Clodio ejusque sorore consuetudine facile effici posse putabat, quamquam, ut ex historia notum est, id

1. Ipse testatur e. g. Lib. IV. Ep. 16. § 10. Cff. Lib. I. Ep. 20. § 2; Lib. II. Ep. 17. init.; Lib. XV. Ep. 2. § 3; *de Sen.* c. 1.

2. Lib. II. Ep. 17. § 1.

3. Cf. Wielandus Tom. I. p. 481 sq.

4. Ep. 15. § 2.

5. Ep. 7. § 3.

parum feliciter cessit. Uti vero frustra assequi Cicero per Atticum potuit, ut in se minus ferocem animum Clodius ostenderet, hoc tamen impetravit, ut ex Attici tum epistolis tum colloquiis quotidie certior fieret, quid universe ipsi struere ille sibi proposuisset.

Tantum igitur aberat, ut Atticus, duorum sibi inimicissimorum hominum amicitiâ eodem tempore usus, quidquam a vetere erga Ciceronem fide recederet, ut maxima ei et gravissima officia praestare haud desineret. Cessit tamen ille mox, circiter Idus Majas [1], negotiorum fortasse suorum causâ Româ, inque Epirotica praedia se contulit, ubi tam diu moratus est, donec Tullius ipse in urbem redierat [2]. Is autem tali amico aegre, ut par est, carebat, quem sibi et reipublicae tristissimis temporibus et consiliorum et consolationis auctorem summo studio expetebat [3]. Quo factum, ut Epiro valedicere Atticus brevi cogeretur et, suis missis, sollicito amico succurrere. Jam enim Clodius apertius inimicum agere coeperat, apertius etiam exitium Ciceroni minitabatur. Cicero contra ad resistendum se paraverat, sperans studia se summa habiturum omnium ordinum. Itaque quemadmodum antea scripserat, se, si pugnandum esse videretur, ad societatem laboris Atticum arcessitu-

[1] Colligo ex Ep. 17. § 1, 3.
[2] l. l. § 3.
[3] Ep. 18. § 4. Cff. Ep. 20. § 5. Ep. 24. § 5.

rum [1], ita quum constabat, Publium Tribunatum Plebis esse initurum, amicum ad Kal. Decembr. ad se evocaverat, plurimum sibi accessurum existimans consilii, animi, praesidii denique, si illum ad tempus videret [2]. Audiamus ipsum. « Nunc mihi et consiliis opus est tuis», inquit, « et amore et fide. Quare advola. Expedita mihi erunt omnia, si te habebo. Multa per Varronem nostrum agi possunt, quae te urgente erunt firmiora; multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quae tibi occulta esse non poterunt: multa etiam — sed absurdum est singula explicare; tum ego requiram te ad omnia. Unum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, si te videro: sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum. Puto Pompejum, Crasso urgente, si tu aderis, qui per βοῶπιν [3] ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia aut certe sine errore futuros. Precibus nostris et cohortatione non indiges. Quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet, intelligis » [4].

Deprehendimus sane in iis, quae hactenus retu-

[1] Ep. 19. § 4, 5. Ep. 20. § 2.

[2] Ep. 21. § 6.

[3] Homericum hoc Junonis epitheton Cicero in Epistolis Clodiae, ut notum est, tribuere solet, cujus rei causam explicat Manutius ad Lib. II. Ep. 9. init.

[4] Ep. 22. § 4, 5. Cff. Ep. 19. § 1; Ep. 23. § 3; Ep. 25. § 2.

litinus, insignia mutui amoris fideique vestigia, ut haud dubitemus, quin extremis illis ante Ciceronis exsilium mensibus Atticus se ei praestiterit, qualem se praestare solebat, consiliorum auctorem, sollicitudinum socium, omni in cogitatione conjunctum [1], et suâ sic usus fuerit apud cives auctoritate, ut tristem calamitatem ab amico avertere summo studio conaretur. Iccirco etiam prudenter suaserat Ciceroni, ut ne sibi Caesarem infestum redderet, sed quoad posset ejus amicitiam quaereret. Sed cautum Attici consilium Cicero eum in modum rejecit, ut Caesarem, repudiando inter alia oblatum sibi vigintiviratum et legationem, graviter in se exacerbaret [2]. Iratus inde Caesar Clodium confirmavit et Pompejum a Cicerone alienavit, idemque apud populum testatus est, videri sibi neque honeste neque legitime conjurationis conscios, indictâ causâ, fuisse sublatos [3]. Sero demum Attici consilia contempsisse Ciceronem poenituit, quum ea ingemiscens saepe recordaretur sibique haberet persuasissimum, se, Attico si paruisset, tristitiam illorum temporum non fuisse subiturum [4]. Quidquid est, eo tandem res

[1] Ep. 24. § 5.

[2] Lib. II. Ep. 18. § 3; Ep. 19. § 5; Lib. IX. Ep. 2 b. § 1; *de Prov. Cons.* c. XVII.

[3] *De Prov. Cons.* l. l.; Plutarch. *vit. Cic.* c. XXX; Sueton. *vit. Caes.* c. XX. Cf. Corradus, *Quaest.* p. 149, sqq.

[4] *ad Att.* Lib. VIII. Ep. 12. § 5.

pervenit, ut nullo modo periculum evadere posse Cicero videretur. Tum vero fuerunt Terentiae uxoris, liberorum cognatorumque preces, fuit Hortensii amica adhortatio, fuit omnium maxime prudens Attici consilium, cui in extremo periculo Tullius obsequeretur, ut fugâ suae saluti consuleret manusque a semet abstineret [1].

Cicerone in exsilium profecto, Atticus Romae remansit ibique quo coeperat studio variis modis afflictis ejus rebus succurrere et mederi, si qua poterat, perrexit. Frustra eum ad se invitabat Tullius, ut, quum Italiam reliquisset, sive per Epirum iter esset faciendum, Attici praesidio uteretur; sive aliud quid agendum esset, consiliorum ejus frueretur prudentia [2]; frustra, inquam, fuerunt Ciceronis preces. Merito Atticus intelligebat, se id sua praesentia effecturum, ut dolores quidem amici augeret potius quam levaret, malo ipsi obesset magis quam prodesset [3]. Secum igitur constituerat Italiam, nisi rebus fere compositis, non relinquere. Praedium suum Epiroticum, quod ad vim externam propulsandam satis erat munitum, Ciceroni tanquam tutum deversorium offerebat [4]; ipse vero non desine-

[1] Lib. III. Ep. 3; Ep. 4; Ep. 9. § 1. Cf. Middletonus Tom. I. p. 400 sq. et in primis Tunstallus *Ep. ad Middl.* p. 73 sqq.

[2] Ep. 1; Ep. 6.

[3] Cf. Abeken pag. 113.

[4] Ep. 7; Ep. 15. § 6.

bat Terentiae ejusque liberis, Quinti etiam Ciceronis curam habere [1]. Pompejum, Varronem aliosque adire pergebat ex eorumque sermonibus quid de rerum statu existimandum esset elicere, atque prudenter et diligenter ad Ciceronem, quae vel factum iri putabat vel facta jam erant, scribere [2], ita tamen, ut eum nec vellet desperare nec temere sperare [3]. Verbo, Ciceronem operâ, consilio, gratiâ juvabat et maximo maerore afflictum vitaeque taedio laborantem amice solebat consolari, erigere, ad vitam vocare [4].

Tantam Attici fidem tantaque officia cogitantibus mirum, imo ingratum videri nobis debet, si acerbissima legimus opprobria, a Cicerone subinde in Atticum emissa [5]; sed fuerunt illa ex morosâ potius tristitiâ, quam ex animi sententiâ prolata. Nam justo pretio amici in se beneficia aestimare ceteroquin solebat et postea magis etiam aestimavit. Neque etiam Atticus neque alius quisquam praevertere mala potuit, quae post Ciceronis exsilium orta fuerunt, ut tanto

[1] Ep. 5; Ep. 8. § 4; Ep. 9. § 2; Ep. 11. § 2; Ep. 17. § 3; *ad Q. Fr.* Lib. I. Ep 3. § 8.

[2] Ep. 8. § 3; Ep. 9. § 2; Ep. 12. § 1. 2; Ep. 13. § 1; Ep. 15; Ep. 18. § 1; Ep. 23. § I, 5.

[3] Ep. 16; Ep. 17. § 2; Ep. 18. § 2; Ep. 19. § 2; Ep. 23. § 5.

[4] Ep. 7. § 2; Ep. 8. § 3.

[5] Ep. 15. § 4, 7. Rem infra datâ operâ fusius exponere conabimur Cap. V.

fuerit in ejus aedes villasque furore saevitum, tam miserâ esse conditione Terentia ejusque liberi coepti sint, imo vero, si resistere malevolis studuissent, ipsi morte fortasse temeritatis suae poenam luissent, Ciceroni, quae etiam remaneret redeundi spes, si non tota evanuisset, non potuisset non insigniter frangi. Tum vero etiam ipsum fugiendi consilium, quod, urgentibus tum ceteris amicis tum maxime Attico, iniit tandem Cicero, dilaudari satis propter prudentiam nequit, quo nempe factum, ut petulanti nonnullorum audaciae tuto ille se subtraheret, quae alioqui pro ratione difficultatum et oppugnatorum pertinaciae mirum in modum aucta, perniciosissima ipsi Tullio exstitisset [1].

Ad magnas Ciceronis miserias tanquam cumulus tandem accessit pecuniae inopia. Atticus, ut pridem de suis facultatibus ad Tullii salutem fuerat pollicitus [2], ita liberaliter ei L L S. ducenta et quadraginta millia donavit [3]. Quod vero maximum est, id suâ effecit curâ atque diligentiâ, ut Q. Metellus Nepos, Consul in proximum annum designatus, veterem cum Cicerone simultatem [4] humanissime de-

Recte id observat Doct. Luzac, *Spec. Hist. Jur. de Q. Hortensio Oratore*, p. 154.

[2] Lib. III. Ep. 20. § 2.

[3] Nepos c. IV. § 4. Simile officium praestitisse Q. Ciceroni videtur. Vid. Lib. II. *ad Q. Fr.* Ep. 2. § 1.

[4] De ea videsis *ad Div.* Lib. V. Ep. 1 sq.; *ad Att.* Lib. I. Ep. 13. § 5.

poneret [1], quo reconciliato in primis factum, ut tandem de eo revocando Senatusconsultum promulgaretur. Tum enim Cicero, Pompeji amicitiâ usus, neminem magnopere in nobilibus habebat, qui legislationi de ipsius reditu sese valde opponeret [2]. Interim Atticus cum Sestio atque Pisone propter motus quosdam, quos suspicabantur orituros quibusque Ciceronem revocatum iri sperabant [3], Thessalonicae eum retinuerant, dum ipsi summa ope nitebantur et vero efficiebant, ut, antequam novi crearentur Tribuni Plebis, designatorum Consulum provinciae ornarentur, quo quidem multum se Ciceroni profuturos sperabant. Id tamen licet aliter cesserit neque, ut contra morem majorum factum, novis Tribunis placeret [4], rei tamen Tullianae magnum detrimentum attulisse non videtur, siquidem Attico omnia mox tam fausta visa sunt, ut ipse etiam Romam relinqueret et Ciceronem Dyrrhachium conveniret [5].

[1] *ad Att.* Lib. III. Ep. 22. § 2; Ep. 24. § 2.

[2] Cf. Abeken p. 122 sq.

[3] Lib. I. *ad Q. Fr.* Ep. 4. § 2; *ad Att.* Lib. III. Ep. 8. § 3; Ep. 10. § 1; Ep. 11. § 1. Quem autem motum Atticus significaverit lege apud Corradum *Quaest.* p. 168 sq.

[4] *ad Att.* Lib. III. Ep. 24.

[5] Ep. 25 Cf. in primis Wielandus Tom. II. p. 127. Minus recte, ut mihi quidem videtur, Corradus initio Epist. laud. verba *a me* expunxit, quae Graevius in *a nostris* mutanda censuit. Quamquam enim temporis ratio obstat, ne statuamus, Atticum post Ep. 24, scriptam IV. Id. Dec., Ro-

Unde item brevi evenit, ut sollenni pompâ in urbem Cicero reverteretur et velut novam vitam conjunctis amicorum conatibus deberet.

Longior (fateor enim) fui in exponendis iis, quae ab Attico inde ab exsilio Ciceronis ad ejus in patriam reditum ad amicum servandum gesta fuerunt. At tam parum utriusque vita divelli potest, ut alterum sine altero contemplari recteque dijudicare prorsus nequeamus. Neque vero ullum tempus fuit, quod clarius intimam eorum familiaritatem atque conjunctionem, quod luculentius constantem et perpetuam Attici erga Ciceronem fidem demonstret, quam ipsae illae, quas dixi, tempestates, ut adeo hic domum reversus gratissimo animo affirmaret, in maxima laetitia sua et exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum

mam relinquere potuisse, Ciceronem adire Dyrrhachium, indeque eodem mense Romam reverti et praeterea satis mature Ep. 25 accipere, qua ab eo petit Cicero, ut se ante Kal. Jan., ubicunque sit, sistat; vel sic tamen nihil impedit, quominus dicamus, Atticum, reviso Cicerone Dyrrhachii, non Romam, sed in Epirum rediisse, praesertim quum ex reliquis epistolis pateat, Atticum Romae non degisse. Quid? quod, Cicerone redeunte, in Epiro aberat. Post conventum igitur Ciceronem in Epirum fuerit reversus, quae causa fuit, ut potuerit tum citius epistolas Ciceronis accipere tum facile ante Kal. Jan. eum sistere. — Aliam rationem iniit Tunstallus p. 90, verba *post tuum a me discessum* parum probabiliter interpretans *postea quam voluntatem ad me veniendi abjecisti*.

gaudium conspectum aut potius complexum Attici sibi redeunti defuisse [1].

Quo rectius oratio nostra procederet, consulto negleximus hereditatis mentionem facere, quae per exsilium Ciceronis Attico obtigit; de qua jam paucis dicendum est. Avunculum igitur habebat Q. Caecilium Metellum, equitem Romanum, difficillimâ naturâ hominem [2]; « cujus », ut Nepotis verbis utar, « sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam [3] ». Caecilius autem uti, dum in vivis erat, divitiis augendis maxime animum applicatum habuerat, adeo ut ab eo propinqui minore centesimis nummum movere non possent [4], ita mortuus ingentem reliquit pecuniae summam, cujus, spreto L. Lucullo familiari, cui plurima debebat beneficia [5], Atticum heredem

1 Lib. IV. Ep. 1. § 2.

2 Cff. Cic. *ad. Att.* Lib. I. Ep. 1. § 4; Wielandus Tom. I. p. 253 sq.

3 Nepos c. V. § 1.

4 Cic. *ad Att.* Lib. I. Ep. 12. § 1. A Cicerone, quem in causa quadam pecuniaria ut sibi adesset, rogaverat, repulsam tulit. Vid. Lib. I. Ep. 1. § 3.

5 Val. Max. Lib. VII. Ep. 8. § 5, qui narrat, Caecilium semper prae se tulisse, unum sibi heredem fore Lucullum eique morientem etiam annulos suos tradidisse. Quapropter *fallacis et insidiosi cadaver populus Romanus, cervicibus reste circumdatum, per viam traxit.*

fecit ex dodrante [1]. Atticus, a Caecilio testamento simul adoptatus, e more Romanorum, quo adoptantis nomen in adoptivum transibat, vocatus deinde fuit *Q. Caecilius Q. F. Pomponianus Atticus* [2]; possessiones autem suas maximopere auctas vidit, quarum quum nullam adhuc mentionem fecerimus, breviter eas hoc loco recensebimus. Itaque praeter bona, a patre jam sibi relicta, ab avunculo accepit circiter centies LLS. domumque, quam ab illo inde tempore, quoties Romae fuit, habitavit, Tamphilanam sive Pamphilianam dictam, perquam amoenam et bonam. Nam, quamvis antiquior, magnâ erat arte atque elegantiâ aedificata, adjunctaque sylva maximam ei conciliabat amoenitatem. Sitae autem aedes illae erant in collo Quirinali [3], prope templum Quirini [4] et Salu-

[1] Nepos l. l. § 2, a quo ita dissentit Valerius, ut *omnium* bonorum Pomponium heredem a Caecilio scriptum fuisse tradat. Cf. Nepos c. XIV. § 2.

[2] His ei nominibus adoptionem hereditatemque gratulatur Cicero Lib. III. Ep. 20. Inde *Caecilius Atticus* vocatur a Suetonio *vit. Tib.* c. VII, et legitur apud Varronem *R. R.* Lib. II. c. 2 init.: « Atticus, tunc *T. Pomponius*, nunc *Q. Caecilius* cognomine eodem ». Cf. Dukerus ad *Epit.* Liv. Lib. CXIII.

[3] Nepos c. XIII. § 2; Cic. *ad Att.* Lib. XII. Ep. 10.

[4] Cic. *de Legg.* Lib. I c. 1. § 3; *ad Att.* Lib. XII. Ep. 45. § 3, ubi *Caesar vicinus* Attico dicitur, id est, statua Caesari posita in aede Quirini. Sextus Rufus et Publius Victor *Reg. VI* statim post Quirini templum domum Attici memorant.

tis [1]. Pretiosissimas vero possessiones in Epiro, ut diximus, Atticus habebat ád Thyamim fluvium [2], et maxime quidem in Thesprotia et Chaonia [3] prope oppidum Buthrotum, in quo ipso etiam domus ejus exstabat [4]. His in praediis magnas alebat pecuarias [5], sicuti omnis ejus pecuniae reditus Epiroticis et urbanis constabat possessionibus [6]. Prae reliquis ei placebat villa, nomine Amaltheum, tum dilabente Thyami tum umbrosis platanis amoenissima [7], in qua gymnasium exstruxerat sive diaetam, studiis in primis comparatam [8]. Praeter haec autem Atticus nulla rustica praedia possidebat, si in Sabinis Nomentanum excipias atque Ardeatinum [9] sive Lucretinum [10]. Denique has suas possessiones subin-

[1] Cic. *ad Att.* Lib. IV. Ep. 1. § 4. Fuit igitur Attici domus in sextae regionis urbis parte nobilissima, quae *alta semita* nominata fuit, ut referunt Rufus et Victor.

[2] Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 3. § 7; *ad Att.* Lib. VII. Ep. 2. § 3.

[3] *ad Att.* Lib. VI. Ep. 3. § 2.

[4] Lib. II. Ep. 6. § 2.

[5] Varro Lib. II. *R. R.* init.

[6] Nepos. c. XIV. § 3.

[7] Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 3. § 7.

[8] *ad Att.* Lib. I. Ep. 13. § 1; Ep. 16. § 18.

[9] Nepos l. l.

[10] Cic. *ad Att.* Lib. VII. Ep. 11. § 1 « in illo », ait, « Lucretino tuo sole ». Puto autem hanc villam, quam significat Cicero, eandem fuisse quam Ardeatinum; nomen enim pariter atque adjacens mons Lucretilis, de quo Horat.

de novis auxisse videtur [1]; saltem iis postea suburbanum praedium addidit, in quo aetate provectior aestivum tempus saepe cum suis degebat [2].

Itaque, ut jam ad ipsum Atticum redeamus, quo tempore Cicero in patriam fuit reversus, in Epiro aberat. Mansit ibi plurimos menses, donec summo cum Ciceronis gaudio, anno U. C. 698 ineunte, Romam venit, nuptias cum Pilia pridie Id. Febr. celebraturus [3]. De hac autem Pomponii uxore quum Nepos altissimum servet silentium, ut ne nomen quidem ejus prodiderit [4], parum habemus compertum. Fuisse Pilia femina videtur non tam genere

Carm. Lib. I. Od. 17, nacta fuerit a Lucretia, cui quum Tarquinii filius stuprum intulisset, pater Ardeam oppugnavit. Vid. Liv. Lib. I. c. 57. Salva ita erit Nepotis auctoritas, diserte tradentis, Atticum in Italia *duo* tantum rustica praedia habuisse.

[1] Eum augere voluisse patet e Lib. I. *ad Att.* Ep 6. § 1; Lib. IV. Ep. 8. § 1.

[2] Vidd. Lib. VII. Ep. 3. § 6; Lib. XII. Ep. 38. § 1.

[3] *ad Q. Fr.* Lib. II. Ep. 3. § 7. Narrat ibi Cicero, se ipso illo die in Pomponii nuptiis esse coenatum.

[4] Hanc ob causam Heldius scriptorem *vitae Attici* (Nepotem enim esse negat) carpit. Si enim Nepos *Attici vitam* edidisset, non neglexisset Piliam quoque memorare. Sed recte, ut videtur, Lieberkuehnius l. l. p. 53 hanc negligentiam e consilio repetit scriptoris, qui non tam externam Pomponii vitam edere quam ingenium viri ac mores celebrare voluerit. Ita factum esse, ut non omnia ad amussim redegerit.

clara [1] quam optimis moribus mitissimoque ingenio instructa, quae, a Quinti Ciceronis Pomponia diversissima, cum marito summâ semper gratiâ atque concordiâ vixerit [2], M. Ciceroni Terentiaeque fuit gratissima [3]. Nata ex hisce nuptiis sola fuit Attica sive Caecilia, quam patri in primis carissimam [4] postea, ut videbimus, M. Vipsanius Agrippa uxorem duxit.

Quamprimum Romam Atticus rediit, mirâ quadam curâ atque diligentiâ Ciceronis rebus providit, quippe qui, licet in pristinum honorem restitutus, haud lauta tamen gauderet conditione. Praeter alia, quae passus fuerat, damna, aedes ejus Clodianorum operâ incendio dolebat deletas; et universe re familiari fractâ utebatur, dissipatâ, direptâ. Quocirca sua, non tam facultatibus Attici, quas suas esse judicabat, quam consiliis restituere et reliquias colligere cupiebat [5], sine quibus de toto suo statu quid ageret plane se nescire fatebatur [6]. Atticum igitur nactus in vil-

[1] De gente Pilia nihil invenio scripto mandatum. *Necessarium* Attici vocat Cicero *ad Div.* Lib. VIII. Ep. 8. § 2. Q. Pilium, ubi idem dicitur M. Servilium de repetundis postulasse. Antea Quaestor ad Caesarem dicitur profectus, Lib. IV. *ad Att.* Ep. 17. § 3. Memoratur quoque M. Pilius *ad Att.* Lib. XIII. Ep. 31. § 4.

[2] Cic. *ad Att.* Lib. VIII. Ep. 5. § 3.

[3] Lib. IV. Ep. 4 b. § 2; Ep. 16. 4.

[4] Lib. VII. Ep. 2. § 4.

[5] Lib. IV. Ep. 1. § 3.

[6] Ep. 3. § 6. Cff. Ep. 1. § 8; Ep. 2. § 5.

lum prope Antium securus sese recepit, cuncta sua ejus studio relinquens [1]. Ille vero ita amico morem gessit, ut non tantum in privatis rebus velut fidi procuratoris munere fungeretur, sed in civilibus etiam quid novi fieret futurumve existimaret, — solebat enim id festive odorari [2] — diligentissime conquireret et ad absentem Ciceronem sine ulla intermissione scriberet [3]. In urbe autem quoties praesente Cicerone utebatur, studiorum ejus factorumque socius aderat assiduus. Ipse tamen, aliquamdiu Romae versatus, in Epirum iter suscipere cogebatur, quod mense demum Majo, valetudine prohibitus, perficere potuit [4], idemque paulo post negotiorum causâ, quae pecuniaria fuisse videntur, in Asiam trajecit [5].

Uti perpetuus Ciceronis fuit et Pomponii mos, ut, quandocunque a se invicem essent distracti, qui Romae in mediis rebus versaretur, is alterum de earum statu literis faceret certiorem; ita nunc quoque, Attico in Epiro et Asia absente, morem illum a Cicerone studiose observatum invenimus, accurate quaecunque majora in republica gererentur

1 Ep. 5. § 3; Ep. 6. § 3; Ep. 10. § 2; Ep. 9. § 2.

2 Ep. 8 b. § 4; Ep. 14. § 2.

3 Vidd. e. g. Ep. 6. § 2; Ep. 8 b; Ep. 11; Ep. 13.

4 Ep. 14. § 1.

5 Ep. 15. § 2; Ep. 16. § 15, quae Epistolae pars recte a Schuetzio ad aliam refertur, ante Ep. 15 datam.

ad amicum perscribente. Quaedam inde decerpere juvat, quo, conditione Romanae civitatis eo tempore cognitâ, reliqua commodius persequamur. De ea igitur sic ad Atticum Tullius scribit: « Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem ac speciem pristinam civitatis. Nulla est respublica, quae delectet, in qua acquiescam. Idne igitur, inquies, facile fers? Id ipsum. Recordor enim, quam bella paullisper, nobis gubernantibus, civitas fuerit; quae mihi gratia relata sit. Nullus dolor me angit. — Domus me et rura nostra delectant. Non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecum et si te habebo, per me ista pedibus trahantur: vobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. — Miram securitatem videbis; cujus plurimae mehercule partes sunt in tuo reditu. Nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. — Res fluit ad interregnum; et est nonnullus odor dictaturae [1] ». Hunc rerum statum contemplanti, Lentulus, qui nuperrime decesserat, Ciceroni aliquo deorum beneficio videbatur ex patriae incendio ereptus [2]. Caesaris gloriae invidens, Pompejus res ejus praeclare in bello gestas ferre aequo animo non poterat et de Caesaris laude, qua poterat ratione, detrectans se efferre studebat

[1] Ep. 16. § 10, 11.
[2] Ep. 6. § 1.

omnique modo sibi ad tyrannidem viam parare. Mox eo res venit, ut per plures menses respublica sine Consulibus esset, et quum passim in circulis rumor esset, opus esse unius viri principatu, Pompejus quidem cum indignatione id audire se simulabat, sed clam id agebat, ut ad Dictaturam foret tandem recurrendum, cui prae aliis interregnum favebat [1]. Interim Caesar non minus quam Pompejus in id incumbebat, ut Ciceronem, quem magni uterque aestimabat, sibi devinctum redderet, idque omnibus modis impetrare nitebatur. Is, suadente Attico, secum constituerat fluctibus cedere Caesarisque amicitiam non aspernari [2]; ceterum, quoad posset, mediam tenere viam. « De eo », inquit, « quod me mones, ut et πολιτικῶς me geram et τὴν ἔσω γραμμὴν teneam; ita faciam. Sed opus est majore prudentia, quam a te, ut soleo, petam [3] ». Non igitur quievit Cicero, anteaquam Buthroto et Epheso [4] evocatum Atticum suum nactus fuit, quem adeo tum demum dimisit, quum, Proconsul Ciliciae designatus, Romam et amicum relinquere cogebatur.

Itaque quum Ciceroni contra voluntatem et praeter opinionem accidisset, ut ipsi cum imperio in

[1] Appian. *B. C.* Lib. II. c. 19 sq.
[2] *ad Att.* Lib. IX. Ep. 5. § 1, 2; Ep. 6. § 2; Lib. VII. Ep. 1. § 2.
[3] Lib. VI. Ep. 8 b. § 4.
[4] Ep. 17. § 1; Ep. 18. § 3 f.

provinciam proficisci necesse esset[1], summâ cum Attici tristitiâ[2], omnia sua pro more ejus fidei atque amori demandavit. Jam statim inde ab itinere rogantem eum legimus, ut Atticus et per se et per amicos omnes, in primis per Hortensium, videret et curaret, ne quid novi decerneretur neve annus proconsularis prolongaretur, imo ut ne intercalaretur quidem[3]. Quanto autem studio in provincia administranda Tullius solitam Attici assiduitatem, gratiam, consilium expeteret, eaedem illae epistolae abunde declarant, quae item praeclara exhibent testimonia ipsius Attici integritatis atque clementiae, ad cujus exemplar ille in rebus exsequendis totum se comparasse ingenue fatetur[4]. Omnem autem spem suam in eo fixam Cicero habebat, ut Atticus per totum illud tempus Romae maneret, saltem caveret, ne Kal. Jan. proximi anni ab urbe abesset totumque ad ipsius causam tuendam excitaret Senatum[5]. Et vero, quamquam Atticus tandem sub mensem Januarium in Epirum trajecit[6], non tamen ante profectus videtur, quam certo sciret, nec Cae-

[1] *ad Div.* Lib. III. Ep. 2. § 1.
[2] *ad Att.* Lib. V. Ep. 1. § 1.
[3] l. l. § 1; Ep. 2. § 3; Ep. 8. § 2; Ep. 9. § 2; Ep. 11. § 1, 5; Ep. 13. § 3; Ep. 17. § 5; Ep. 21. § 3.
[4] Vid. v. c. Lib. VI. Ep. 1.
[5] Lib. V. Ep. 15. § 1; Ep. 18. § 3.
[6] Efficio ex Ep. 20. § 8, collatâ Ep. 21. § 1.

sarem neque alium quemquam sua auctoritate prohibiturum esse, ne novus, qui Tullio succederet, Proconsul crearetur. Constat enim, omni operâ Atticum Ciceronis voluntati paruisse, et magnâ, qua apud Caesarem, Hortensium, alios, gratiâ pollebat, studiose ad hoc fuisse usum [1], ut vere possimus affirmare, Attici industriâ factum potissimum fuisse, ut, anno exacto, Tullius de Cilicia provincia decederet. Nec vero per omne illud tempus Cicero in domesticis rebus ejus auxilium desideravit, siquidem Pomponius illum tam pecuniâ opportune adjuvit [2] quam in aliâ gravissimâ re, in novis dico Tulliae nuptiis conciliandis [3], singularem curam adhibuit. Nam nulli operae parcebat Atticus, si amicos eâ indigere senserat. Sic eodem tempore et diligenter tutoris munere functus est [4] et P. Corn. Lentulum Spintherem magno sibi beneficio devinxit.

[1] Lib. VI. Ep. 1. § 13.

[2] Lib. V. Ep. 1. § 2; Ep. 13. § 2; Saepius item in epistolis, hoc tempore datis, pecuniae mentio fit, quam Cicero a Caesare mutuo acceptam diutius se debere aegre ferebat; sed tandem, ut videtur, Atticus etiam de sua solvit. Cf. Middletonus, Tom. II. p. 254. Ipsum adeo Caesarem pecuniam ab Attico accepisse apparet e Lib. VI. Ep. 1. § 25.

[3] Ep. 4. § 1; Ep. 21. § 14; Lib. VI. Ep. I. § 20.

[4] Una cum Cicerone Attico tutela mandata fuit pueri Pammeni sive Pammenis, ut conjici possit e Lib. V. Ep. 20. § 00; Lib. VI. Ep. 2. § 00.

Hic enim, auctore fortasse Cicerone, grato semper ei pectore obstricto [1], quod ad ipsum exsulem revocandum multum contulerat, ita gratiam et benevolentiam Attici insigniter est expertus, ut magnam partem illi deberet, quod in eum, Ciliciae Proconsulatu defunctum, ob res bene gestas triumphi honores deferrentur [2].

Octo fere menses Româ Atticus abfuit [3] variaque interim itinera suscepit, quibus caras suas Athenas, Corcyram, aliaque loca videtur adiisse [4]. Vix autem Romae eum esse intellexerat Cicero, quin praeter Tulliam [5] ceteras suas res tam privatas quam domesticas ei rursus demandaret, maxime de suo ad exitum vergente Proconsulari munere ejus consilia efflagitans. Scilicet, placebat sibi Cicero vehementer ob praeclare gestas in Cilicia res, adeo ut triumpho ei dignae viderentur [6]. Maxime autem Bibuli eum exemplum excitabat, qui, dum unus hostis in Syria fuerat, pedem portâ non plus extulerat quam domo sua, et tamen de triumpho adnitebatur [7]. Nec vero quidquam per se statuere Tul-

[1] *ad Div.* Lib. I. Ep. 8. § 7.

[2] *ad Att.* Lib. V. Ep. 5. § 3.

[3] Romam enim venit a. d. XII. Kal. Oct. A. U. C. 704 (A. C. 50). Vid. Lib. VI. Ep. 9. § 1.

[4] Lib. VI. Ep. 1. § 24; Ep. 2. § 10.

[5] Ep. 4. § 2.

[6] Ep. 3. § 3.

[7] Lib. VI. Ep. 8. § 5; Lib. VII. Ep. 2. § 6.

lius volebat, nisi Attici sententiam haberet exploratam [1]. Voti tamen compos Cicero factus non est, quod temporibus procul dubio est tribuendum et Attici consilio [2]. Ceterum magno destitutus auxilio fuit adversâ Attici valetudine, qui, vix domum reversus, in quartanam inciderat [3], ut, quamvis alioqui corpore fortissimus, prorsus laboraret [4]. Paulo post et Pilia in idem genus morbi dilabebatur [5] et alius naturae morbus Attico haud parum molestiae pariebat [6], quae utriusque aegritudo non nisi post novem mensium languorem cessavit [7]. Sed vel sic

[1] Ep. 6. § 4.

[2] Lib. IX. Ep. 7. § 5, ubi: « De triumpho tibi assentior: quem quidem totum facile et libenter abjecero. »

[3] Ep. 9. § 1.

[4] Lib. VII. Ep. 2. § 2.

[5] Ep. 5. § 1.

[6] Lib. X. Ep. 10. § 3.

[7] Ep. 15. § 4; Ep. 16. § 6 f.; Ep. 17. § 2. Hoc loco paucis vindicanda Nepotis fides contra Heldium, qui l. l. p. 39 sq. auctorem Attici vitae increpat, quod c. XXI. § 1 narrat, Pomponium ad mortem usque *tanta prosperitate usum fuisse valetudinis, ut annos triginta medicina non indiguisset*, quum e locis modo allatis pateat, Atticum febri valde laborasse. Et omnino fuit hoc anno fere septimo decimo ante ejus obitum, ut quodammodo frangi Nepotis fides videatur. Contra constat febrem ejusmodi esse morbum, cui medicamina parum prosunt et antiquitus etiam parce adhibebantur. Sed praeterea novimus, Atticum prudentiâ, diligentiâ, temperantiâ in primis, tum vero ambulando ungen-

tamen non tanta vis morbi fuit, ut a Ciceronis curâ Atticum prorsus avertere potuerit, siquidem non desiit de omnibus rebus eum facere certiorem, de ejus statu cogitare eumque consiliis adjuvare [1]. Jamjam enim eruptura videbatur tanta dimicatio, quanta nunquam fuisset. Duo illi principes in republica viri, Caesar et Pompejus, sibi insidias struere bellumque aperte parare coeperant; nec nisi alterius interitu res confici posse putabatur. Verum pluribus ista persequi historici est: nos operae pretium facturi sumus, si Attici iis tempestatibus facta et consilia, quae Ciceronis praesertim habitâ ratione elucent, ob oculos posuerimus.

doque, diaeta omnino remediisque domesticis ad morbos sanandos usum fuisse. Vidd. Lib. VI. Ep. 9. § 1; Lib. VII. Ep. 2. § 2; Ep. 5. § 5; Lib. IX. Ep. 7. § 7; Lib. XIV. Ep. 5. init. Proprie igitur *medicina* Atticus non indiguit, quod eo sensu dixit Nepos, ut significaret, eum triginta postremis aetatis annis non tam gravi morbo fuisse implicitum, ut *medicorum opem* desiderasset. Cf. Lieberkuehnius-Pohlmannianus l. l. p. 57.

[1] Lib. VI. Ep. 9. § 5; Lib. VII. Ep. 2. § 8.

Caput Tertium.

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS UNDESEXAGESIMO AD SEXAGESIMUM SEXTUM.

Ab A. U. C. 704—711 (A. C. 50—43).

Itaque incidit bellum civile Caesarianum, Attico ipsum agente sexagesimum aetatis annum, febri Romae laborante, dum Cicero ad urbem spe triumphi morabatur. Jam pridem, ut vidimus, hunc fluctuantem fere et modo Pompejo fidentem, modo de Caesare omnia sperantem, Atticus in Caesaris etiam traxerat cupiditatem [1], ut illo auctore utrumque Tullius complecteretur. Postea vero, quum haud procul aberat, quin palam esset civile bellum exortum, Cicero consilii inops plane haerebat, nesciens quo artificio tueretur benevolentiam Caesaris Pompejique gratiam retineret. Ipsum loquentem audiamus. « Videsne », ait, « ut te auctore sim utrumque complexus? Ac vellem a principio te audisse amicissime monentem, Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν

[1] Lib. V. Ep. 13. § 3.

ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες, Πατρίδος. — Sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus; alterum, quia tantum valebat. Feci igitur. Itaque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me carior. Haec enim cogitabamus: nec mihi, conjuncto cum Pompejo, fore necesse peccare in republica aliquando; nec cum Caesare sentienti pugnandum esse cum Pompejo: tanta erat illorum conjunctio. Nunc impendet, ut et tu ostendis et ego video, summa inter eos contentio. Me autem uterque numerat suum, nisi forte simulat alter » [1]. Atticus igitur, a Cicerone ut de ipsius statu cogitaret admonitus, Pompejum Neapoli versantem adiit cumque collocutus est de republica, de opinione, quam haberet de integritate Ciceronis, quo indagaret, qua esset ille in hunc benevolentia, omnino ejus animum erga Ciceronem perspiceret [2]. Licet autem ceteroquin Pomponius domesticis se finibus teneret [2] neque in publicum prodiret [3], propter familiaritatem tamen, quam cum pluribus nobilibus viris contraxerat, in multorum, quae struebantur, notitiam pervenit; quo nomine optime quoque de Cicerone est meritus. Nihil enim gerebatur tam a Caesare quam a Pompejo, quin per

[1] Lib. VII. Ep. 1. § 2, 3.
[2] Lib. VII. Ep. 2. § 5.
[3] Ep 12. § 6.
[4] Lib. VIII. Ep. 11. § 7.

Atticum Cicero de tota re fieret certior et consilia acciperet simul, quae praesentem dubitationem tollerent. Quorum auctoritas tam magna apud Ciceronem fuit, ut fere se iis traderet regendum, suâ postpositâ ipsius sententiâ. Tantum enim tribuit Attici prudentiae, ut, acta omnibus nuntiantibus, ab eo exspectaret futura [1].

Quodsi quis rogat, quae fuerint ista Attici consilia, haesitanti Ciceroni data, partim ea ipsius Ciceronis indicant epistolae, partim Pomponii epistolarum fragmenta. Quum enim Cicero, aliorum virorum exemplum secutus, maluisset procul Româ tuto se recipere quam ad urbem morari [2], noluit tamen Atticus eum, Italiam si relinqueret Pompejus, hujus castra sequi, nec inconsiderati facinoris esse participem; tum enim finem peregrinationis nullam ipsi fore, sed maximum discrimen imminere. «Summo periculo facies», inquit, «nec reipublicae proderis, cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris». In mansione autem quamquam magnam inesse sollicitudinem arbitrabatur, minus tamen mali contineri; fugam omnino turpissimam habebat. Cicero vero nimis semper Pompejo et fidebat et obligatum se pristinis beneficiis putabat, adeo ut, quum ille Italiâ cesserat, maxime angeretur et timeret, ne quid a se dedecoris sua mansione esset admissum. Eum

[1] Lib. VII. Ep. 13. §. 4.

[2] Ep. 10.

his confirmaverat animo Pomponius. « Te non esse una cum Pompejo, non fero moleste. Postea, si opus fuerit, non erit difficile; et illi, quoquo tempore, erit ἀσμένιστον. Sed hoc ita dico, si hic (Caesar), qua ratione initium fecit, eàdem cetera aget, sincere, temperate, prudenter, valde videro et consideratius utilitati nostrae consuluero » [1]. Spem porro Ciceroni proponebat fore, ut a Caesare impetraret, ut sibi abesse liceret et esse otioso, quum aliquid in senatu contra Cnaeum ageretur [2]. Interim in Formiano Tullius exspectaret et a Caesare veniam peteret, ut idem tribueret Pompejo, quod ipsi Caesari tribuisset, ut nullam belli partem contra illum ageret. Quodsi Caesar hoc non concederet, πολίτευμα de pace inter utrumque constituenda susciperet [3]. Quandocunque autem ipsi cum Caesare fieret congressus, suam teneret Cicero incolumem gravitatem, et sic loqueretur, ut neque ad urbem vocanti cederet, nec tamen alienam plane ostenderet ab illo voluntatem [4]. Denique hanc Atticus Ciceroni praescripserat agendi legem, ut neutris

[1] Legatur tota Lib. IX. Ep. 10, unde omnium maxime cognosci possit Pomponii de rebus Ciceronis sententia. Nos reliquias earum Attici Epistolarum fini nostrae disputationis subjiciemus.

[2] Lib. IX. Ep. 2 b. § 1; Ep. 6. § 6.

[3] Ep. 7. § 3.

[4] Ep. 9. § 2; Ep. 12. § 1; Ep. 18. § 1; Ep. 19. § 4.

se partibus addiceret, verum se integrum, quoad posset, servaret, ne propensior ad turpem causam videretur [1].

At longum est omnia hinc illinc e Cicerone colligere, quae, vel missis domesticis rebus, in quas pari studio incubuit, varia consilia in civilibus bene agendis Pomponius amico dederit. Suam, non alienam curare rem videbatur. Quapropter, sibimet ipsi in tantis negotiis velut diffidens, prudentiorum amicorum sententias studiose etiam exquirebat diligenterque ad Ciceronem perscribebat [2]. Delectabatur magnopere Tullius illis Attici monitis eorumque praestantiam dilaudabat. « Quam honesta », inquit, « quam expedita tua consilia, quam evigilata tuis cogitationibus. — Omnia tum honesta tum cauta » [3]. Sic alibi: « *Εὐγενῆ* tua consilia, et tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur. — Tua me, hercule, auctoritas valde movet. Affert enim et reliqui temporis recuperandi rationem et praesentis tuendi » [4]. Huic consiliorum honestati prudentiaeque mira quaedam accidebat animi sinceritas, ut, si qua Tullius ei deliquisse videretur, id eum non tantum non celaret, sed amice etiam ei peccata os-

[1] Lib. VII. Ep. 26. § 2.

[2] Lib. IX. Ep. 7. § 2, 6; Ep. 10. § 10; Lib. XI. Ep. 6. § 1; Ep. 7. § 4.

[3] Ep. 12. § 1.

[4] Lib. VIII. Ep. 9 § 3.

tenderet et corrigendi viam proponeret [1]. Consiliis facta adjunxit. Sua in Epiro praedia liberaliter et fraterne Ciceroni tanquam deversorium, turbulentis illis temporibus, obtulit [2], eique ad Pompejum in Epirum profecto nummorum HS. LXX et vestimentorum quod opus fuit per villicum tradenda curavit [3]; Terentiae etiam suum auxilium haud denegavit [4]. Quae generosa Pomponii in se suosque officia tanti Cicero existimavit, ut merito nullius se praesidio tutiorem crederet. « Omnem spem habeo » (sic alicubi sua Attico commendans scribit) « existimationis privatarumque rerum in tua erga me perspectissima benevolentia : quam si his temporibus miseris et extremis praestiteris, haec pericula, quae mihi communia sunt cum ceteris, fortius feram; idque ut facias, te obtestor atque obsecro. — Te etiam oro, ut me totum tuendum suscipias; ut, si ii salvi erunt, quibuscum sum, una cum iis possim incolumis esse salutemque meam benevolentiae tuae acceptam referre ». [5].

Ipse Atticus quas in bello civili Caesariano partes secutus sit, vel ex consiliis Ciceroni datis efficias licet : neutrarum esse maluit, quam alterutras of-

[1] Lib. XI. Ep. 7. § 8.
[2] Lib. IX. Ep. 12. § 1 ; Lib. X. Ep. 7. § 3 f.
[3] Lib. XI. Ep. 2. § 4; Ep. 13. § 4.
[4] Lib. X. Ep. 8. § 9; Lib. XI. Ep. 7. § 6.
[5] Lib. XI. Ep. 1. § 1, 2. Cf. Ep. 3. § 2.

fendere. Habebat ille Romae virum in primis nobilem, Sextum Peducaeum, et studiorum socium et amicum integerrimum, quocum Ciceroni sibique consulebat communiter eandemque fere servabat agendi rationem. Uterque primum quidem non alienus fuisse a consilio videtur Romam relinquendi, ad exemplum plurimorum civium, qui adventante Caesare ex urbe aufugerant. Inde Cicero: « Quin etiam tibi et Peducaeo — scripsit enim ad me — quid faciatis, videndum est. Is enim splendor est vestrûm, ut eadem postulentur a vobis, quae ab amplissimis civibus » [1]. Neque tamen Atticus propositum illud perfecit, sed in praesenti abjecit et quiete cum amico turbarum exitum exspectavit. Quamvis autem Pompejum et conjunctum [2] haberet et amicum, magnopere tamen ei post fugam, quam vehementer improbabat, favisse non videtur, sed vel sic tamen eum nulla in re offendit [3]. Caesarem nec contempsit, nec in coelum tulit. Eum Romam reversum, ut jampridem secum constituerat [4], gratulandi causà cum Peducaeo adiit eique in regia apparuit, sed ita, ut gravitati suae et dignitati

[1] Lib. VII. Ep. 13. § 3. Cff. Ep. 14. § 3; Ep. 17. § 1.

[2] Gens Cornelia enim, unde duxcrat uxorem Pompejus, teste Plutarch. *vita Pomp.* c. LV. init., Caeciliae genti, e qua maternum genus Atticus ducebat, affinis fuit.

[3] Nepos c. VII. § 2.

[4] Lib. VIII. Ep. 9. § 2.

egregie consuleret [1]. Neque Pompejo neque Caesari beneficia accepta referebat, nullam iis debebat gratiam; libere igitur et sentire volebat et agere. Quod ne ipsi Caesari ingratum fuisse existimemus, qui Ciceroni ambigenti eandem ut iniret rationem amice suasisset. « Quid viro bono », inquit, « et quieto et bono civi magis convenit quam abesse a civilibus controversiis? Quod nonnulli quum probarent, periculi causâ sequi non potuerunt » [2]. Interim Atticus se ad iter in Epirum faciendum, tum etiam in Apuliam et Sipontum paraverat, ut sic quasi tergiversans proficisci commode posset ad sua negotia peragenda. Causam ejus rei idoneam exhibet Cicero: « Regnandi », ait, « contentio est, in qua pulsus est modestior rex et probior et integrior et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Sullano more exemploque vincet. Ergo hac in contentione neutrum tibi palam sentiendum et tempori serviendum est » [3]. Profectionem autem parantem Postumus Curtius, Praefectus equitum a Caesare creatus, impedivisse aliquamdiu videtur, quo minus Italiam relinqueret [4]. Tandem Atticus propositum illud plane misit et

[1] Lib. X. Ep. 1. § 4; Ep. 3 b. § 1.

[2] Sunt verba ipsius Caesaris ex Epist. ad Ciceronem, adjunctâ Lib. X. *ad Att.* Ep. 8.

[3] Lib. X. Ep. 7. § 1.

[4] Ep. 13. § 3 f.

Romae potissimum, suae et Ciceronis saluti prospiciens, tranquille rerum eventum opperiri maluit. Nam, teste Nepote, « usus est aetatis vacatione, neque (se) quoquam movit ex urbe. Quae amicis suis opus fuerant, ad Pompejum proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit » [1]. Cicero contra, siquidem cum Attico metuebat, ne a Pompejanis, qui Epirum totam occupaverant, regio vexaretur [2], quoad poterat, id apud Pompejum cavit, curavitque ne in Pomponii praedia saeviretur [3].

Commissa tandem pugna est Pharsalica, qua superior Caesar Pompejum non fudit tantum, verum etiam se fugae dare repentinae coëgit. Quae Pompejanorum clades ut plurimis aliis nobilibus Romanis salutis causa exstitit; ita ab Attico quoque satis

[1] Nepos c. VII. § 1. Quod enim inter Ciceronis Epistolas ad Atticum post Lib. X. Ep. 18, datam m. Majo A. U. C. 705, nulla prior reperitur quam Lib. XI. Ep 1, scripta in Epiro m. Febr. anni insequentis ad Atticum, Romae se tenentem, eo probari, invito Nepote, non potest, Atticum re vera iter quoddam suscepisse. Cicero Dyrrhachium se ad Pompejum contulit, unde Romam tabellarios mittendi non magna copia eo tempore fuit. Si tamen, quod omnino est verisimile, interdum opportunitatem nactus literas ad Atticum miserit, hae cum aliis facile potuerunt perire. Denique, lectâ Lib. XI. Ep. 6. § 6, persuasum nobis plane erit de incorruptâ Nepotis fide.

[2] Lib. XI. Ep. 9. § 2.

[3] Lib. XI. Ep. 4. § 1.

magnum periculum avertit. Quamquam eni
sua, ut e Nepote videmus, Atticus Pompej
offenderat, fuerunt tamen in castris Pom
qui de eo minus benigne judicarent [1]. Qu
Cicero, in Italiam a pugna reversus, haec ad
scribit: « Tanta erat in illis crudelitas, ta
barbaris gentibus conjunctio, ut non non
sed generatim proscriptio esset informata;
omnium judicio constitutum esset, omnium
bona praedam esse illius victoriae; vestrûm pl
nunquam enim de te ipso nisi crudelissime
tum est » [2]. Summum igitur, si vicisset
impendisset Attico non bonorum tantum, s
etiam discrimen, quandoquidem omnes, q
castra non secuti, in Italia remanserant,
numero habebantur. Quid? quod Fannius
Pompeji exercitu cum imperio fuerat, Atticu
natim significaverat et perniciosa fuerat d
Italia mansione locutus [3]. « Caesari autem At
tantopere fuit grata, ut victor, quum priva
nias per epistolas imperaret, huic non solum
non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ci
ex Pompeji castris concesserit » [4].

[1] Cff. *Bigarrures curieuses* p. 41, quibus hac de
tatur adversus verba *Cesarionis*, quae leguntur p.

[2] Lib. XI. Ep. 6. § 2.

[3] L. 1. § 6.

[4] Nepos c. VII. § 3.

Devicto Pompejo, cui aperte faverat, Cicero, jure sollicitus, quo animo de ipso Caesar existimaturus esset, Brundisii commorari maluit, donec de tyranni voluntate certior factus foret. In qua quidem Tullii maxima re constituenda singularis fuit denuo Pomponii diligentia. De ejus convivis plurimi Caesaris partibus erant addicti, multi etiam familiares Caesari. Per hos suos convivas, Balbum in primis et Oppium, Atticus efficere apud Caesarem studuit, ut hic Ciceronis dignitatem si augere nollet, at certe conservaret [1]. Alios Caesarianos Atticus per literas ambibat, ut, pro more veteri, quibus ipsi videretur, Ciceronis nomine epistolas conscriberet, quibus ad illius causam propugnandam exhortarentur [2]. Itaque Atticus sua sedulitate atque benevolentia id jam a Caesare impetraverat, ut edictorum, quibus non licebat Pompejanis esse in Italia, nisi quorum causam Caesar cognovisset aut de quibus scripsisset, exceptio nominatim in Cicerone fieret [3]. Cum Oppio autem, Antonio aliisque ita perrexit agere [4], ut Romam eo tempore relinquere non fuerit ausus, ne quam importuno discessu negligeret rei Tullianae componendae occasionem [5] neve a Terentia Tulliaque suum

[1] Lib. XI. Ep. 6. § 3; Ep. 7. § 5; Ep. 8.
[2] Ep. 5. § 3; Ep. 7. § 7, alibi.
[3] Ep. 9. § 1.
[4] Ep. 18. § 2.
[5] Ep. 7. § 5.

auxilium desideraretur, quarum curam habere atque inopiam propulsare omni ratione nisus est [1]. At vero paulatim tantis fuit difficultatibus Ciceronis negotium oppressum, tam dubium atque incertum, ut Atticum quoque omne fugeret consilium, quo sollicitam amici mentem levaret ac consolaretur [2]; suadere tantum et monere poterat, ut ad tempus vultum orationemque accommodaret et placido animo eventum opperiretur [3]. Aliquamdiu is rerum status fuerat, donec Caesaris Brundisium iter finem illis miseriis imposuit. Namque Cicero, obviam illi progressus, quo vellet eundi veniam a Caesare impetravit [4]. Itaque hic *dies vere* Ciceroni *festus atras* omnes *exemit curas* eumque Romam ad suos reduxit. Vixit autem ibidem cum Attico ad Idus fere Maji insequentis anni [5], quo factum, ut quae illo temporis spatio Atticus vel gesserit vel passus fuerit, omnia ignoremus.

Confecto Africano bello, videtur Pomponius tranquillam, ut solebat, egisse vitam, sive Romae sive in praedio suburbano seu denique ruri apud Ciceronem degens. Neque tamen nullâ curâ iis ipsis diebus angebatur. Festivam filiam, cujus caritate in primis

1 Ep. 25. § 3; Ep. 23. § 3; Ep. 24. § 3.

2 Ep. 25. § 1.

3 Ep. 24. § 5; Ep. 21. § 3.

4 Plutarch. *vit. Cic.* c. XXXIX.

5 Urbem enim Cicero reliquit prid. Id. Maji A. U. C. 708, ut docet Schuetzius ad Lib. XII. Ep. 1. init.

tenebatur, imbecillà valetudine puellam, plurimos menses febri tentatam dolebat, ut tam ipsum, eodem morbi genere affectum, quam Piliam trepidus sollicitaret angor [1]. Huc alterum accedebat malum, per se satis magnum nec nisi longo tempore post sublatum. Numerabat enim, ut novimus, Atticus optimas suas longeque plurimas possessiones in Epiro. Bello autem civili confecto, Caesar inter multa alia agros etiam Buthrotios militibus praemia concesserat. Ut primum eos proscriptos vidit, commotus Atticus libellum composuit et Ciceroni dedit, ut daret Caesari, apud quem ille erat eo die coenaturus. Libello accepto, Caesar probavit causam, rescripsit Attico aequa eum postulare: admonuit tamen, ut Buthrotii reliquam imperatam pecuniam, (quam quum solvere antea differrent, .Caesar eorum agrum proscripserat,) ad diem solverent. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. Quod quum erat factum, et Cicero et Atticus adierunt ad Caesarem, verba fecerunt pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulerunt, quod fuerat obsignatum ab amplissimis viris. Sed vel sic tamen passus est Caesar convenire eos, qui agrum Buthrotium concupissent: neque solum passus est, sed etiam Cn. Plancum ei negotio praefecit. Itaque et Cicero cum illo locutus est, et saepius quidem; ut etiam

[1] Ep. 1. § 2; Ep. 14. § 4 f.; Ep. 33. § 2 et passim.

accusaretur ab eo, quod parum constantiae suae confideret. Tum Caesar M. Messalae et ipsi Attico dixit, ut sine cura essent: aperteque ostendebat se, praesentium animos offendere nolle: quum mare transissent, curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. Post interitum autem Caesaris, ut primum ex Senatusconsulto causas Consules cognoscere instituerunt, haec ad eos delata sunt. Probaverunt causam *sine* ulla dubitatione seque ad Plancum literas daturos esse dixerunt. Quo facto, Cicero ternas literas ad Plancum perscripsit, quibus ab eo peteret, ut sui causâ Attici rem familiarem curaret et quam primum Consulum decretum exsequeretur [1]. L. tamen Antonius, Septemvir agris dividundis, aliquamdiu obstitit, ne ad effectum illud decretum perduceretur [2]. Tandem vero res composita fuit, et quamvis nos lateat, qua ratione id locum habuerit, affirmari certo possit, magnam Atticum hoc nomine jacturam subiisse, siquidem, ut conjicimus, is ad postremum laborum finis fuit, ut, salvis possessionibus, Atticus pecuniae, quam numeraverat Buthrotiis, recuperandae omnem spem amiserit [3].

[1] Sunt Lib. XVI. Ep. 16. *App.* A., unde haec fere omnia hausimus, *App.* B. et *App.* E. Scripsit etiam Cicero binas literas de eodem negotio ad C. Capitonem, quae sunt *App.* C. et F., et singulas ad C. Cupiennium sive *App.* D.

[2] Lib. XV. Ep. 15. init.

[3] Scribit Cicero Lib. XVI. Ep. 3. init.: «Tu vero sapienter. Nunc demum enim rescribo iis literis, quas mihi

Haec inter gravissima accidit Ciceroni calamitas. Suavissima ejus Tullia, patri vitâ etiam carior, supremum diem obiit. Illum tantus cepit animi moeror, ut summâ laboraret consiliorum inopiâ et velut descivisse a pristina natura videretur. Fuit igitur Atticus, quem tum quoque non rerum solum domesticarum diligentissimum procuratorem, verum tristitiae etiam consolatorem amicissimum ac socium fidissimum experiretur. In suburbanum Pomponii receptus, tam assidua librorum lectione, quam plurimorum Attico familiarium hominum consuetudine, afflictum animum erigere et doloris levamen sibi comparare Tullius studuit [1]. At parum efficere benevola Attici cura atque sollicitudo potuit. Mensem fere apud se moestum patrem in villa retinuit; tum vero dimittere est

misisti, convento Antonio Tiburi. Sapienter igitur, quod manus dedisti quodque etiam ultro gratias egisti. Certe enim, ut scribis, deseremur potius a republica quam a re familiari.» Agi hoc loco de causa Buthrotia omni dubio caret; pro quo autem beneficio Atticus gratias Antonio egerit, explicari vix posse videatur, si posteriora item verba rite perpendis, quae probant, Atticum in re familiari fecisse detrimentum. Nodus sic fortasse est expediendus, ut dicamus, agros Buthrotiorum tandem re vera fuisse divisos; Pomponii vero possessiones illâ divisione fuisse exemptas. Sic habuit Atticus, quod et gratias Antonio ageret pro officiosâ exceptione et gravem tamen rei familiaris jacturam aequo animo ferret. Nam Buthrotii, omnibus suis amissis, solvendo non amplius fuisse videntur.

[1] Lib. XII. Ep. 14. § 3; Ep. 40. § 2.

coactus et tempori mandare, cui amicitia frustra fuerat mederi conata. Inde post discessum haec Cicero testatur: « Ne discessissem quidem », inquit, « e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adjuvaret. Quod si esset aliquod levamen, id esset in te uno: et, quum primum ab aliquo poterit esse, a te erit »[1]. Itaque fanum in defunctae honorem fieri volebat, quod quidem apud Atticum, cui totius rei administrandae curam demandaverat[2], tanto urgebat ardore, ut hoc nomine paene dementia quadam captus fuisse putari possit. Quod videns Atticus auctor fortasse fuit, ut tandem propositum istud miserit et ad meliorem mentem redierit[3]. Mirificam omnino adhibuit Atticus benevolentiam, diligentiam, prudentiam in amici dolore avertendo et variis ejus negotiis expediendis, ut ex ipsis Tullii epistolis compertum habemus[4]. Ad forum eum

1 Ep. 16. Cff. Ep. 14. § 3; Ep. 16, aliae, quas affert Abeken l. l. p. 325.

2 Ep. 18. § 1; Ep. 19. § 1, et passim.

3 Cf. Wielandus, Tom. V. p. 419 in not. et p. 552. Varia impedimenta, quae se in dies offerebant, Attico egregie videntur inserviisse ad male sanum Tullii consilium distinendum. Quo benevolo studio ille ductus, consulto tandem in Epistolis fani mentionem facere neglexit et ad graviores res tractandas Ciceronem excitavit. Fortasse tamen tempora etiam infaustiora fuerint. Sic explicat Middlet. Tom. II. p. 420 sq.

4 Lib. XII. Ep. 34. § 2. Cff. Ep. 37. § 2; Lib. XIII. Ep. 6. § 4 et ante omnes Lib. XII. Ep. 5. § 2. Magna Atti-

et ad agendas causas revocare perpetuo studebat [1]. Idcirco etiam et simul, quod majori in gratia apud Caesarem eum ponere studebat atque ita quod coeperat [2] perficere, συμβουλευτικὸν de ordinanda republica scriberet et ad Caesarem mitteret Ciceronem adhortabatur [3]. Nec se frustratum vidit. Quamquam enim, quas literas componere Cicero instituit, missae non fuerunt [4], Attici tamen admonitu uberiores misit, in quibus et ἀκολεύθτως et tamen sic, ut nihil Caesarem existimaret lecturum libentius, de hujus contra Catonem libris fusius disseruit [5]. Denique, non desiit Ciceronem excitare, ut, quoad posset, temporibus pareret nec oblatam Caesaris victoris gratiam asper-

ci erga Ciceronem officia tum cernebantur etiam in re curanda familiari post divortium cum Terentia factum. Vidd. Lib. XII. Ep. 19. § 4; Ep. 22. § 1; Ep. 23. § 2; Ep. 37. § 3. Simile officium praestitit Ciceroni, dimissâ Publiliâ. Vide Lib. XIII. Ep. 34; Ep. 47. § 3; Lib. XVI. Ep. 2. § 1. Cf. Middlet. Tom. II. p. 422 sq. Denique gravi interdum molestiâ Tullium liberavit, quum exhaustam filii Athenis versantis arcam de suis nummis expleret. Legas Lib. XIV. Ep. 16. § 4; Ep. 17. § 5; Ep. 20. § 3, alibi.

1 Lib. XII. Ep. 21. § 5.

2 Ep. 19. § 2.

3 Ep. 40. § 2; Lib. XIII. Ep. 26. § 2.

4 Lib. XIII. Ep. 27. § 1; Ep. 28. § 2, 3. De argumento hujus Epistolae, Attici admonitu scriptae, sed propter crebras Caesarianorum animadversiones non missae, consulatur Middlet. Tom. II. p. 440.

5 Ep. 50. § 1; Ep. 51. § 1.

naretur, quippe quem observare tantum a servitute abesset, ut hic potius Ciceroni sua observantia servire dici posset [1]. Itaque Attici consiliis et operae procul dubio tribui debet, ut naturalis Caesaris erga Ciceronem benevolentia atque aestimatio aucta altaque fuerit; tribui ideo magnam partem vitae tranquillitas itemque securitas debet, qua frui propter Caesaris amicitiam diebus illis Ciceroni licuit.

Atticus, rure fere degens et, quamvis ipse ἀκηδίᾳ quadam affectus, moesti Ciceronis animum praesens etiam recreare haud desinens [2], magnam hoc tempore rem egit, quam posterius quidem confectam hoc tamen loco paucis memorare juvat. Natam sibi, ut obiter animadvertimus, e Pilia habuit Pomponiam, de patre Atticam quoque et Caeciliam vocatam. Hanc circiter octo [3] annos natam filiolam de vulgari

[1] Ep. 49. § 2 f.

[2] Lib. XII. Ep. 48; Lib. XIII. Ep. 8; Ep. 9. § 1; Ep. 45. § 1.

[3] Idem statuit Mongaltius ad Lib. XIII. Ep. 21 (Tom. V. p. 524), qui tamen in eo errasse videtur, quod natam Atticam existimat Cicerone in Cilicia absente. Idem censet Tunstallus p. 203. Sed alterutrum tantum, temporis ratione habitâ, verum esse potest. Illa enim Epistola scripta fuit m. Sext. A. U. C. 709, Proconsulatu autem Cicero functus est A. U. C. 703. Si igitur tum nata fuisset Attica, vix sextum aetatis annum attigisset. Verum, licet Cicero Lib. V. Ep. 19. § 2, exeunte Sept. 703 datâ, quo fere tempore nata fuisse asseritur, sic scribat: « Filiolam tuam tibi jam Ro-

nobilium Romanorum more, quomodo optime collocaret, sedulo dispiciebat de eaque re studiose cum Cicerone deliberabat. Fuerat autem illa a patre praeclare educata et tam amplo orta genere, ut collocare eam minus quidem fuisset difficile, nisi religio patris eum sibi generum maluisset, cui ad morum puritatem nihil magnopere deësset [1]; quod tum non bene ei cessit. Aliquamdiu vero post idoneum nactus generum est M. Vipsanium Agrippam, Octaviani familiarem, conciliatore M. Antonio, triumviro reipublicae constituendae. Agrippa enim, quum propter suam gratiam et Augusti potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum Attici delegit affinitatem, praeoptavitque Equitis Romani filiam generosarum nuptiis [2]. Quo

mae jucundam esse, gaudeo: eamque, *quam nunquam vidi*, tamen et amo et amabilem esse certo scio», obstant ne tum natam dicamus, quae leguntur Lib. VI. Ep. 1. § 22, datâ d. III. Non. Mart. A. U. C. 704: «Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes». Haec sane cadere in tantillae aetatis filiam nullo modo possunt; quocirca non multum a vero aberraverit, qui statuet, anno fere U. C. 701 Atticum filiolâ illâ fuisse auctum, quam ad mensem Sept. 703 extra Romam educatam, propterea nunquam Cicero viderat.

[1] Lib. XIII. Ep. 21. § 6; Ep. 29. § 1; unde recte suspicati interpretes sunt, de Thalnae potissimum nuptiis Atticum cogitasse.

[2] Haec fere habet Nepos c. XII. § 1, 2. Post nuptias

matrimonio nobilitatam in praesenti maxime fuisse. Pomponiam gentem, nemo inficias ibit; in posterum vero magis etiam nobilitate crevit, siquidem eum Imperatorum domo ita coaluit, ut e nuptiis illis procreata filia, Vipsania Agrippa, Tiberio fuerit uxor data Drusumque Caesarem e se genuerit [1].

Jam rerum Romanarum statum paulisper contemplaturi Attici in civilibus negotiis agendi rationem, quoad de ea constat, exploremus.

Caesar, Africano et Hispaniensi bello magnâ fortunâ gesto, mense Octobri victor fuerat in urbem ingressus summâque usus in adversarios clementiâ. Nihilominus plus quinque mensium principalis quies ei non contigit [2]. Nam Idibus Martiis, auctoribus in primis Bruto Cassioque, in ipsa curia hostiliter petitus multisque vulneribus confossus, ibidem exspiravit. Id ipsum senserat dudum Cicero et praesagiens ad Atticum scripserat. « Corruat iste » — sic enim dixerat — « necesse est aut per adversarios aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore » [3]. Voti

literas edocta fuit a Q. Caecilio Epirota, Attici liberto, quod memorat Suetonius *de ill. gramm.* c. XVI, quem addit in ea fuisse suspectum et ob hoc remotum.

[1] Suetonius *vit. Tib.* c. VII; Seneca Ep. XXI; Tacitus *Ann.* Lib. I. c. 12 f. Cf. Lib. II. c. 43.

[2] Vellejus Pat. *H. R.* Lib. II. c. 56. § 3.

[3] Cic. *ad Att.* Lib. X. Ep. 8. § 8.

igitur compos factus, Cicero magnum ex tyranni caede gaudium cepit et pariter atque Atticus, qui ad eum satis ample de eo scripserat et caedis defensionem in se susceperat, vehementer probabat, per se spectatum, Bruti Cassiique facinus [1]. Neque est, quod id vel miremur vel in Attico (nam de hoc nobis dicendum) exagitemus. Is, quamquam Caesaris gratiâ floruerat, tanquam patriae amans civis tale quid non solum probare debebat, sed summopere etiam laudare atque efferre. Fuit enim ea et Romanae et Graecarum civitatum conditio, ut suo communi principio, civium universa communione et conjunctione, tutae esse et vigere possent, tyrannide vero exortâ, cessaret illa communio ipsaque civitas ad interitum vergeret [2]. Ita merito tyranni caedem defendisse eâque delectatum fuisse censendus est. At ipsum illud gaudium mox in tristitiam vertit. Mortuum tyrannum novus excepit, quum Consul Antonius superbâ dominatione oppressam teneret civitatem eamque in summum languorem et torporem conjiceret. Praeviderat hoc, saltem metuerat Atticus. Continuo post perpetratam caedem Ciceroni indicaverat, stare sibi, causam civitatis, tyrannicidio egregie munitam, funditus perituram, si funere fuis-

[1] Lib. XIV. Ep. 14. § 2.

[2] Legantur quae hac de re disputavit Cl. Heusdius, *Diatr. in civ. ant.*, in primis p. 63 sqq.

set defuncti corpus elatum [1]. Et vero, postquam re vera in foro combustus fuerat Caesar ab Antonioque laudatus, incredibili populi in eum studio, in percussores ejus graviter saevitum est, ut [2], sublato tyranno, tyrannis manere et dominum tantum mutasse videretur. Vanula ipsi ac Ciceroni, qui Attici villâ spretâ [3] in sua degebat, spes supererat, fore, ut tum aliorum tum vero maxime Bruti consiliis respublica restitueretur et pejora, quae imminebant, averterentur [4]. Quod quum spectaret omnique operâ eniteretur, Atticus auctor Ciceroni exstitit, ut hic scriptam traderet Bruto orationem, qua verba ad populum facturo utendum foret [5].

Interea Cicero, Cumano suo cum cella, villicis et procuratoribus Piliae curae relicto [6], Româ absens avide exspectabat Attici literas, nec actorum solum, sed etiam futurorum [7]. Dubitabat ille, exiretne Italiâ an Romam adiret, plane nesciens quo se pacto gereret. Legationem cupiebat sive liberam seu vo-

[1] *ad Att.* Lib. XIV. Ep. 10. § 1; Ep. 14. § 3.

[2] Appianus *B. C.* Lib. II. c. 147 sq. Cf. Cic. Lib. XIV. Ep. 10. § 1.

[3] Cic. l. l.

[4] Ep. 15. § 1 — 3; Ep. 16. § 2; Ep. 19. § 5; Ep. 18. § 1; Ep. 20. § 4.

[5] Ep. 20. § 3. Cff. Mongaltius, Tom VI. p. 166, et Schuetzius ad h. l.

[6] Ep. 15. § 4; Ep. 16. § 1; Ep. 17. § 1; Ep. 19. § 6.

[7] Lib. XV. Ep. 4. § 5.

tivam, modo aliqua ratione periculo eriperetur [1]. De omnibus more suo ad Atticum scriptitabat, ex hujus potissimum sententia consilia capturus [2]. At cave putes Pomponium unum, ab omni periculo tutum, tam gravibus procellis certum portum invenisse. Imo repentina tempestas, ante ejus aedes a seditiosis fortasse civibus suscitata, magnum ei injecit horrorem et gravia est minatus. Coactus igitur suos ad arma vocare, ad resistendum se paraverat, si qui impetum facere tentarent. Feliciter tamen nimbus ille cito transiit neque iterum apparuisse videtur [3]. Atticus autem Bruto favere magnopere perrexit suâque prudentiâ adjuvit. Semper eo sic fuerat usus, ut nullo ille adolescens aequali familiarius quam hoc sene: neque solum eum principem consilii habuit, sed etiam in convictu [4]. Itaque ipse ad Brutum,

[1] Ep. 8. § 1.

[2] Vide e. g. Lib. XIV. Ep. 15. § 3; Ep. 16. § 2; Ep. 17. § 4; Ep. 19. § 6; Ep. 22. § 2; Lib. XV. Ep. 4. § 4; Ep. 5. § 1, 3, et aliis bene multis locis.

[3] Lib. XV. Ep. 9. § 2.

[4] Nepos c. VIII. § 2, ubi prava distinctio et priores hujus capitis sententias contorte exhibet et nostro loco alienum sensum conciliat. Sic enim vulgo: « *Secutum est illud. Occiso Caesare, — ad eos convertisse; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens — in convictu. Excogitatum est a quibusdam*" rell. Quis non videt inde necessario sequi, ut post occisum demum Caesarem Brutus tam familiariter Attico usus fuerit? Contrarium tamen aliunde novimus. Haec ad nostrum locum. In iis vero, quae se-

Lanuvii commorantem, sese contulit, quo melius quae essent de republica consilia capienda deliberaret et ad exsequenda praesens Brutum urgeret [1]. Idem aliquamdiu post in animo habuit, sed temporis eum iniquitas a proposito absterruit [2].

De Bruti et Attici conjunctione quoniam dicere exorsi sumus, ne omittamus, quod haud scio an a nullo alio auctore praeter Nepotem memoriae sit proditum. Haud ita multo post Caesaris necem a

quuntur, verba: « *Excogitatum est a quibusdam* » rell. per se posita sunt nec apte cohaerent cum antecedentibus, ut aperte copula quaedam desideretur, qua verba illa cum iis nectantur, quae priori loco narrata sunt. Itaque sic legam: « *Secutum est illud. Occiso Caesare, — ad eos convertisse; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens — in convictu; excogitatum est a quibusdam*", rell.

1 Lib. XIV. Ep. 21. § 1.

2 Lib. XV. Ep. 8. § 2; Ep. 9. § 2, ubi: « Tu quid egeris tua quum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. Est enim inexplicabilis". Haec verba interpretes fere ita explicuerunt, quasi Attico in mentem venisset *legationem* petere, cujus praesidio commode ab urbe abesset nec interesset civilibus discordiis. Sed recte vidit Mongaltius, Tom. VI. p. 259 sqq., vocem *legationem* judicere esse positam pro *allegationem*, ut Lib. XIV. Ep. 19. § 4 *legata* pro *allegata* legitur. Mongaltii autem sententia ideo etiam mihi commendanda videtur, quod Lib. XV. Ep. 10 init. sic scribitur: « O Bruti amanter scriptas literas! O iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis!"; ne dicamus de voluntate Attici, quam aversam a publicis muneribus semper habuit.

quibusdam tyrannicidarum amicis excogitatum fuit, ut principes quique Equestris ordinis pecunias conferrent, quibus privatum constitueretur aerarium Caesaris interfectoribus. Quo consilio inito, C. Flavius, Bruti familiaris, Atticum adiit et exhortatus est, ut ejus rei princeps esse vellet. Sed, quod permirum iis accidit, Atticus nec munus illud in se recipere voluit nec de suo quidquam conferre. Solebat enim is lubenter quidem amicis, cum ceteris tum afflictis maxime, officia praestare idque nunquam non liberalissima ratione peragebat, sed ab ejusmodi consiliis, quae partium studio favebant et alendis factionibus inserviebant, toto animo abhorrebat. Quid igitur? Respondit Flavio, si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum eae paterentur: sed neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. Licet vero auctor ita Atticus invitus exstiterit, ut, ceteris consilium illud aerarii constituendi mittentibus, magno Brutus subsidio privaretur, nihilominus amico deësse noluit. Nam, quod florenti illi parti negaverat, id abjecto Bruto Italiâque cedenti sic praestitit, ut LLS. centum millia ei per matrem Serviliam muneri miserit. Quod quidem donum postea eum in modum renovavit et auxit, ut in Epiro absens trecenta ei jusserit dari [1]. Denique in ludis, quos maximo tum sumptu

[1] Nepos c. VIII. § 5. Cf. Cic. Lib. XV. Ep. 17. § 2.

ad conciliandam sibi plebis gratiam Brutus parabat [1], singularem Attici operam videtur expertus, siquidem, quod e Cicerone colligimus, cura eorum et administratio magna ex parte ad Pomponium pertinuit [2].

Haec tamen, quam retulimus, Attici erga Brutum benevolentia nullam ceteroquin vim habuit, ut solitum ejus agendi morem mutaret. Bruto enim favit quidem, sed ita favit, ut unice ab ejus partibus stare videri nequaquam posset. Antonium, qui tum principatum obtinebat, nec laesit nec blandimentis et adulatione ita prosecutus est, ut ejus sibi favorem ac gratiam conciliare studeret [3]. Romae fere moratus, non destitit desperatis consulere, in primis Ciceroni tam opibus suis [4] quam consiliis praesto esse. Hunc in Tusculanum conventum summo cum dolore reliquit, praevidens fortasse urgens ejus periculum et salutis merito sollicitus [5]. Ei quamvis primum consultum iri sperabat legatione

[1] Appianus *B. C.* Lib. III. c. 24.

[2] Argumento sit Lib. XV. Ep. 18. § 2. Simile Attici officium expertus antea Pompejus fuerat, quum, theatrum suis sumptibus aedificans, Attici operâ ad signa componenda ille uteretur. Vid. Lib. IV. Ep. 9. § 1. Cf. Middlet. Tom. II. p. 87 sq.

[3] Nepos l. l. § 5 f.

[4] Statui hoc possit e Lib. XV. Ep. 15. § 1 — 4; Ep. 17; Ep. 20. § 4; Lib. XVI. Ep. 1. § 5; Ep. 6. § 3.

[5] Lib. XV. Ep. 27. § 2; Ep. 29. § 1. Cf. Abeken p. 370.

Dolabellae et itinere in Graeciam [1], deinde tamen suasit, ut per devia sensim Arpinum progrederetur [2], ibi tam diu esset, quoad certiora de futuro Octavii atque Antonii bello fuisset edoctus et sic tandem reverteretur Romam [3]. Admonuit item Ciceronem, ut pedetentim sese Antonio opponeret, in Octavio autem Antonium belle retundente, quamvis caute, spem haberet [4]. Ipse autem sibi quid faciendum esset, etiam tum dubitabat [5]; id tamen bene perspectum habens, si superior fuisset factus Octavius, multo firmius acta Caesaris comprobatum iri, atque id contra Brutum fore; sin vinceretur, intolerabilem futurum Antonium, ut, utrum malum optabilius esset, nesciret [6]. Aliquamdiu in animo Pomponius habuit in Epiro hiemari [7], sed tam propter suam gravedinem [8] quam uxóris infirmam valetudinem [9], iter in praesenti distulit. Accedebat, quod sub finem anni Tullius Romam rediit, civilium turbarum exitum ibi potissimum exspectaturus.

[1] Ep. 29. § 1; Lib. XVI. Ep. 2. § 4; Ep. 6. § 2; Ep. 7. § 2, 3.

[2] Lib. XVI. Ep. 13a. § 1.

[3] Ep. 15. § 4, 6.

[4] Ep. 14. § 2; Ep. 15. § 3.

[5] Ep. 13 b. § 2.

[6] Ep. 14. § 1.

[7] Ep. 2. § 6; Ep. 6. § 3.

[8] Ep. 11. 1, 3; Ep. 14. § 4.

[9] Ep. 7. § 8.

Et sic quidem deficiunt nobis Ciceronis Epistolae, eae certe, quas ad Pomponium misit. Nam uterque ad confectum bellum Romae mansit, nec inde abiit Cicero, quam ut, foedissimâ proscriptione factâ, percussorum manibus vitam misere amitteret. Reliqua igitur Attici vita ad Nepotis descriptionem exigenda nobis erit, quae proximo nostrae disputationis capite continebitur.

Caput Quartum.

VITA ATTICI AB ANNO AETATIS SEXAGESIMO SEXTO AD MORTEM.

Ab A. U. C. 711—722 (A. C. 43—32).

Bello Mutinensi inter Octavium, Antonium et D. Brutum gesto, Antonius Italiam reliuquere fuit coactus, patriae hostis judicatus. Uxorem ejus Fulviam, liberos ac familiares tum plurimi iique potentissimi certatim laedere et spoliare instituebant, studebant etiam interficere, partim odio ducti, partim imbellibus istis persequendis gloriolam sibi commendationemque captare cupientes. Sed Atticus, quamvis Ciceronis, Antonio maxime adversarii, intimâ gauderet familiaritate, quamvis Bruto, quocum ille armis pugnaverat, esset amicissimus; ita parum honestum aliorum exemplum re visus est improbare, ut Fulviam quacunque re posset sustentaret, Antonii familiaribus, ex urbe profugientibus, omni operâ auxilium praestaret in primisque pecuniâ eos adjuvaret, quos inter P. Volumnium Eutrapelum filii

instar tuitus est [1]. «Ipsi autem Fulviae», — sic enim pergit Nepos — «quum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tantâ diligentiâ officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, quum illa fundum (secundâ fortunâ) emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit, pecuniamque sine foenore sineque ulla stipulatione (ei) credidit»[2]. Interim, quod minime exspectaveris, Antonius tanto malo ereptus subito est. Is, pariter atque Lepidus, ab Octavio literis petitus, hunc Bononiam convenit cum iisque reipublicae constituendae societatem iniit. Tum vero Antonius et Lepidus, propter id quod passi fuerant infensi, frustra reluctante Octavio, immanem proscriptionem, cujus exemplum Sulla dederat, renovarunt [3]. Praeterea nemo quisquam ex iis, qui vel Caesarem interfecerant vel ejus interfectoribus faverant, salvus futurus videbatur. Imo in proscriptorum catalogum adscripti fuerunt, qui nullâ aliâ de causâ deliquerant quam quod triumvirorum inimicis amici adnumerabantur [4]. Itaque Atticus quoque futurae stragi effugere non posse plurimis

[1] Hunc communem fuisse Ciceronis atque Attici amicum, patet etiam ex initio Lib. IX. *ad Div.* Ep. 26.

[2] Nepos c. IX. § 2—5.

[3] Vellejus Pat. *H. R.* Lib. II. c. 66. § 1.

[4] Appianus *B. C.* Lib. IV. c. 5. init. Cf. Nepos c. X. § 4.

visus est, quem et Ciceroni et Bruto amicissimum esse, palam erat notum. Ut primum igitur Triumviri Romam adventare nuntiabantur, Atticus de foro decessit seque apud P. Volumnium cum Q. Gellio Cano, aequali simillimoque sui, abscondidit latuitque tam diu, quoad Antonius, multis hortantibus, ejus officii fuit memor et, detectis latebris, suâ ei manu scripsit, ne timeret statimque ad se veniret: se eum, et illius causâ Canum, de proscriptorum numero exemisse. Quod autem noctu id fiebat, misit ei Antonius praesidium, quo ab omni injuria et periculo tutus exire posset [1].

Ita merito suo Atticus propter ea, quae, desperatis prorsus rebus, in Antonii domum contulerat, beneficia et ipse sibi et amico salutem paravit. Verum enim vero non eum Atticum fuisse, qui ipsum evasisse satis haberet, aliorum salutem negligeret, his quoque splendidissimis exemplis apparuit, quemadmodum a Nepote docemur. Saufeji enim, Equitis Romani, intimâ ei familiaritate conjuncti, quum pretiosas in Italia possessiones Triumviri vendidissent, Atticus solitâ suâ industriâ ac labore ab Antonio impetravit, ut in paterna ille bona brevi restitueretur. Simile officium Attico acceptum debuit poëta, aliunde nobis non cognitus, L. Julius Calidus. Is, quum post proscriptionem Equitum propter magnas

[1] Nepos c. X. § 2, 4.

Africanas possessiones absens fuisset a Volumnio proscriptus, qui tum Antonii erat Praefectus fabrum, apud hunc Atticus effecit, ut sua Calidus omnia recuperaret [1]. Verbo, nihil aliud Pomponius egit, quam ut plurimis tam opibus suis quam aliâ quacunque ratione subveniret. Nam quod Romae non poterat, id in Epiro praestitit, quo nemo venit e proscriptorum numero, propter praemium suo capiti impositum studiose a vulgo exquisitus, cui non Atticus et res omnes necessarias largiter donaverit et perpetuo ibi manendi fecerit potestatem [2].

Haec si reputamus, mirum alicui videri possit, tot ea tempore proscriptos viros sive vitam sive possessiones suas Attici diligentiae et apud Antonium gratiae debuisse; Ciceronem vero, quem omni tempore et familiarissimum habuit et fidelissimum, medio discrimini ab eo non fuisse ereptum. Quod, etsi hac de re nihil certi statuere possumus, ita potissimum explicandum videtur, ut dicamus, sero demum Atticum ipsum servatum fuisse, quum jam Ciceronem inexorabile Antonii odium pridem interimendum curaverat. Sed rem, ceteroquin exploratu dignissimam, eo minus paucis absolvere posse videmur, quod exstitit aliquando, qui, ipsam Ciceronis necem respiciens, pejus de Attico statueret,

[1] Nepos c. XII. § 3, 4.
[2] c. XI. § 1.

quem, turpi incuriâ ductum, existimaret Tullii necem impedire apud Antonium neglexisse [1]. Haec igitur, si qua possumus ratione, accuratius nobis sunt investiganda.

Primum locus laudatur ex Epistola quadam Ciceronis ad Luccejum, temporibus maxime angustis, ut putat auctor anonymus, datâ. Eo haec Tullii verba continentur: « Illius tanti vulneris » (significat ereptam sibi Tulliam) « quae remedia esse debebant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicosne confugiam? quam multi sunt? Habuimus enim fere communes: quorum alii occiderunt, alii, nescio quo pacto, obduruerunt.» [2]. His amicis quum vir doctus adscribat Atticum, in eo hunc crimine dignum scribit, quod in magnâ eâque satis inhonestâ cum Antonio conjunctione continuo post caedem Ciceronis vixerit, adeo ut Antonius etiam Atticam Agrippae uxorem conciliaverit. Indicium hoc luculentum esse opinatur, quo probari possit, Pomponium de Ciceronis salute, tempore proscriptionis, haud multum cogitasse, siquidem ejus necem tam facile tulerit, ut cum hujus auctore summâ amicitiâ fuerit conjunctus.

Quae ad argumenta illa refellenda afferri possunt,

[1] In primis auctorem]'dico dissertatiunculae, inscriptae *sur le caractère de trois célèbres Romains, Ciceron, Atticus et Luccejus*, Diario literario Hagensi *(Journ. literaire de la Haye)* A. 1714 insertae, Tom. V. p. 145 sq.

[2] Cic. *ad Div.* Lib. V. Ep. 15. § 1, 2.

ea mihi quidem talia esse videntur, ut facile vituperatorem prosternant. Nam si laudatam Epistolam spectamus, quae temporibus trepidissimis scripta fuisse asseritur, eâ nihil plane contra Pomponium probatur. Data illa fuit mense Junio A. U. C. 709 (A. C. 45), paucis mensibus post obitum Tulliae, novem ante Caesaris necem, non ita plane perturbatis temporibus, ut hoc nomine se relictum ab amicis esse queri Cicero posset. Quod autem ad ipsam querelam, cadat ille, sive merito seu immerito, in ceteros Ciceronis amicos, in Atticum non cadit. Repetenda illa est ex animi afflicti moerore, qui facile se iracundiae conjungit et morosos saepius facit. Quod Ciceroni tum accidisse ipse testis est in Epistola, eodem mense, quo prior Luccejo, Attico data, qua tamen simul hunc omni culpa liberat. « Scis », ait, « quam sit φιλαίτιον συμφορά· minime in te quidem » [1]. Neque vero etiam quod amicitiâ Antonii usus fuit, id Attico dedecori est vertendum nec malae fidei indicium haberi potest. Mortem Cicero, sive meruerat de Antonio sive non meruerat, semel subierat; Atticum vero gratus servaverat Antonii animus, eo insignior, quod illius causâ Canus quoque, quem familiarissimum habebat, vitam simul et libertatem recuperaverat. Ne cui igitur videatur mirum, Atticum, qui acceptorum beneficiorum

[1] *ad Att.* Lib. XII. Ep. 41. § 2.

gratum se memoremque praestare semper studebat [1], tanto fuisse erga Antonium studio postea ductum, ut arcta tandem inde amicitia oriretur. Liceatne nobis, apud Nepotem legentibus, qua ratione Atticus sub ipsa proscriptione usus fuerit gratiâ Antonii ad deprecanda amicorum aut pericula aut incommoda, ut appareret se nullam velle ab amicis sejunctam fortunam [2], — liceatne, inquam, tam inhoneste de Attico existimare, ut eum omnem exuisse humanitatis sensum et amicitiae statuamus in unius Ciceronis fortuna avertenda, neque omnes ad hoc vires intendisse? Vix, opinor, si suus veritati honos constabit. Ut quod sentio dicam, Ciceronem ab interitu servare nullo modo Atticus potuit. Primus ille fuit, qui ab Antonio in catalogum proscriptorum sit relatus, inter primos fuit, qui singulis Triumviris inimicissimi jugularentur, ut adeo intra decem dies post initum Triumviratum prope Formianum succubuerit [3]. Interim Antonius Romam iter fecit, Atticus apud Volumnium latuit, apud quem quam diu fuerit etsi non constat, quum tamen post acceptum demum nuntium, adventare

[1] Nepos c. IX. § 5.

[2] c. X. § 5.

[3] Legantur quae hac de re studiose congessit Middletonus, Tom. III. p. 311 sqq. Cff. Tom. VII. *Epp. ad Att.* p. 472 sqq., a Graetero post Wielandi mortem editarum; Abeken p. 427 sqq.

Antonium, se abscondiderit, maxime videtur simillimum, latebras ejus non nisi post interfectum Ciceronem Antonio innotuisse. Denique, etiamsi cui placeat sententia, Atticum prius cum Antonio in gratiam rediisse, quam illa Ciceroni calamitas acciderit, vel sic tamen, ut alia omittam, vehementer dubito, num Antonius, quem ne Octavianus quidem movere potuerat, tam faciles continuo aures Attico praebuisset, ut amicitiae hujus gratiâ inimicitias poneret, quas jam adolescentia genuerat, virilis autem aetas ita aluerat, ut nequaquam posse evelli viderentur [1].

Sed vereor, ne viri docti ineptias oppugnans ipse ineptus appaream. Quocirca, iis missis, ceteram vitam Pomponii expediamus.

Post initum triumviratum Brutus et Cassius, in suis provinciis morati, id omni operâ perficere studuerant, ut militibus cogendis satis firmum sibi exercitum pararent. Octavianus atque Antonius, Lepido Romae relicto, in Macedoniam cum copiis suis progressi, post acrem ad Philippos in Macedonia pugnam de Bruto Cassioque victoriam reportarunt. Hi ipsi interierunt; ceteri fugâ suae saluti consuluerunt. In eorum numero fuit L. Julius Mocilla Praetorius cum filio, Aulo Torquato aliisque bene multis; quorum fortunam benigne Atticus levavit et bona omnia

[1] Earum causam vide apud Middlet., Tom. II. p. 261 sq.

Samothraciam, quo supplices confugerant, supportari jussit [1]. Bruti autem matrem, veteris amicitiae memor, tueri perrexit, nec minora quam florente Bruto beneficia in eam contulit [2].

Vixit porro Atticus tam Antonii quam Octaviani gratiâ atque amicitiâ pollens; quorum ille bello triumvirali in Aegypto absens, quid ageret, quid curae sibi haberet, accurate Atticum facere certiorem solitus est; hic, eâdem observantiâ usus, quoties aberat, nunquam ad suorum quemquam literas misit, quin Attico mitteret omniaque, tam de itinere suo atque militia quam de studiis, perscriberet. Neque absens tantum, sed in ipsa etiam urbe, quum prae negotiorum suorum amplitudine Pomponio minus uti posset, haud facile praeteriit dies, quin literis resarcire conaretur, quo frui praesens non poterat. E qua cum Octaviano consuetudine repetendum est, quod ille ab Attico id admonitus, Jovis Feretrii in Capitolio a Romulo exstructam aedem, vetustate atque incuria detectam, reficiendam curaret [3]. Sic autem Octaviano Atticus placuit, ut arctius etiam eum conaretur sibi devincire; quapropter quae ex Agrippa Attico nata fuit neptis, eam vix anniculam Octavianus privigno suo, Drusillâ nato, Tib. Claudio Neroni despondit. « Quae conjunctio », ut addit

[1] Nepos c. XI. § 1, 2.
[2] l. l. § 4.
[3] c. XX. § 1. — 3.

Nepos, « necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem »[1].

Ultima equidem e Nepote tantum non describere cogor. Difficile enim est, quum aliorum traditiones desint, eadem accuratius simul et elegantius tradere. Iccirco haec mihi in reliquis venia detur velim, ut ad Nepotis orationem meam accommodem.

Itaque Atticus, anno aetatis septuagesimo septimo, post interitum Ciceronis undecimo, quum ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratiâ fortunâque, ex multis[2] hereditatibus acceptâ, crevisset, tantâque usus esset valetudine, ut annos triginta medicorum ope[3] non indiguisset, incidit in morbum, quem et ipse et medici contempserunt, τεινεσμὸν sive τενασμὸν putantes. Iccirco remedia celeria faciliaque proponebantur. Nihilominus quum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quae ex mali curatione capiebat, consumpsisset, subito sese exseruit vis morbi, quae tanta in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Ante vero quam hoc sibi accidere sensit Atticus, doloribus cibo in diem auctis, febri etiam accedente, generum Agrippam, L. Cornelium Balbum, Sextum Peducaeum arcessiri ad se jussit. Quos ut venisse vidit, hanc

1 c. XIX. § 3.

2 Unius mentionem facit Cic. Lib. VII. Ep. 2. § 3.

3 Vidd. quae supra hac de re annotavimus pag. 65 not. 7.

fere habuit orationem, tantâ constantiâ vocis atque vultus, ut non ex vita migrare, sed ex domo in domum videretur. « Quantam », inquit, « curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret; reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum: deinde, ne frustra dehortando conemini » [1].

Ecce egregiam viri justi imaginem, qui, nullâ culpâ pallescens, appropinquantem mortem, quam trahere quidem, nec differre tamen poterat, sereno vultu adspiceret. Sit illud in Christianis hominibus vituperatione dignissimum, Romanum ac Graecum ad eam normam exigere non possumus, quibus philosophia tale facinus haud raro commendabat. Itaque propositi tenax Atticus nihil est amicorum precibus commotus. Frustra flens atque osculans eum Agrippa orabat et obsecrabat, ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque acceleraret: constanter et tum generi lacrymas taciturnâ suâ obstinatione

[1] Nepos c. XXI. c. XXII. init.

contempsit ejusque preces depressit, et biduo post, quum subito decesserat febris morbusque coeperat esse levior, omnem etiam cibum repudiavit. Obiit igitur quinto, posteaquam mori constituerat, die, pridie Kal. Apr. A. U. C. 722 (A. C. 32), Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Sosio Coss.

Uti Atticus ipse praescripserat, elatus sine ulla pompa est in lecticula et sepultus juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in sui avunculi, Q. Caecilii, monumento. Ipsum autem funus indicium exhibuit praeclarum, quae fuisset Pomponii virtutis excelsique animi existimatio, quum non boni tantum omnes, sed vulgus etiam maxima frequentia elatum prosequerentur [1]. Qua pompa haud equidem scio, an magno deque suis civibus optime merito viro nulla inveniri illustrior atque splendidior possit.

Atque ita quaecunque de Attici vita notatu digna ab antiquis scripto sunt mandata, in unum ea quasi corpus digesta contulimus. Pro fontium autem ubertate atque copia alia, ut par est, concinnius, prolixius etiam alia enarravimus, magis incuriae ac negligentiae quam longioris sermonis crimen veriti. Jam vero novum disputationis campum ingredimur, in quo ingenii animique dotes, in Attico conspicuas, dispiciemus.

[1] c. XXII.

Caput Quintum.

ATTICI INGENIUM ET MORES.

Jam aliquoties in vita Attici tractanda admirati insignem sumus viri prudentiam animique singularem magnitudinem, qua variis vitae temporibus usus tum nobilis inter aequales ferebatur tum horum ipsorum commodis praeclare consuluit. Veruntamen plura omisimus, quae a Nepote consulto tradita, a Cicerone vero obiter memorata, lucem affundunt Pomponii moribus et congesta illustrem ejus repraesentant imaginem, sine qua cognosci penitus et dijudicari recte non possit. Haec autem Attici imago non tam absoluta nobis atque perfecta habenda est, ut tale contineat humanae praestantiae exemplar, cui quidem ad consummatam virtutem nihil magnopere desit; — est enim hoc vel optimis hominibus proprium, ut aberrent subinde atque de recta via deflectant, neque Atticus adeo vitiorum immunis plane

fuit, — sed eas maxime observare virtutes licet, quas suis ipse praeclaris studiis, assiduâ curâ et diligentiâ, nobili quadam animi intentione comparare sibi ac perficere studuit. Ea quamvis e veteribus proponere juvet, non absolvere tamen posse nobis videmur, nisi recentiorum scriptis adhibitis, maxime, quae in disputationis hujus prooemio indicavimus. Eorum igitur crimina memorare atque idoneis argumentis oppugnare studebimus [1].

Ordiamur a *prudentia animique moderatione*, quam in rebus gerendis maxime aequales laudarunt. Hoc enim erat Attici ingenio, si quid aliud, proprium, ut usu et doctrina *aequam rebus in arduis servare mentem* didicisset, *non secus in bonis ab insolenti temperatam laetitiâ*. Nec superbiâ elatum secundis rebus quisquam vidit, nec adversis depressum; pari stetit ille fastigio in utrâque fortunâ [2].

[1] Brevem, sed verissimam Attici imaginem delineavit Templeus, Opusc. Gallice edit. Tom. II., disp. inscriptâ *Jardin d' Epicure* p. 102. Hoc autem loco moneam, me nuper demum in opere Tiraboschi, cui nomen *Storia della Letteratura Italiana*, ed. Modenae 1787, Tom. I. P. III. Lib. III. p. 370, laudatam invenisse *vitam Attici*, scriptam ab Abbate de St. Pierre, quam *vitae Socratis* praemisit. Utrumque virum *ingeniose* comparasse Abbas dicitur. Eodem loco mentio fit *Apologiae Attici*, insertae Tom. IV operis, inscripti *Recueil de Pieces de Litterature*, ed. Par. 1741. Neutrius vero opusculi inspiciendi copia mihi facta est.

[2] Nepos c. XIV. § 2.

« Novi », ait Cicero, « moderationem animi tui et aequitatem: teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intelligo » Scribit haec in praefatione *Catonis Majoris*, quem ad Atticum *de senectute* misit. Itaque addit: « Hoc onere, quod mihi commune tecum est, aut jam urgentis, aut certe adventantis senectutis, et te et me ipsum levari volo. Etsi te quidem id modice ac sapienter (sicut omnia) et ferre et laturum esse certo scio »[1]. Ita Cicero, qui penitus Pomponium et in cute noverat, cogitare ac scribere de Attico solebat. Certe id in prioribus saepius jam observare licuit, ubi tum ex ipsis verbis tum ex rerum etiam, quas Attici curae demandavit, pondere et gravitate patere potuit, quantum ille ejus sapienti judicio, moderati animi egregio testi, tribuerit. Ingenue solebat fateri, quam suave sibi, quam salutare, quam necessarium esset talis amici consilium. Inde: « Non labor meus », inquit, « non requies, non negotium, non otium, non forenses res, non domesticae, non publicae, non privatae carere tuo suavissimo atque amantissimo consilio ac sermone possunt »[2]. Nulla unquam major gerebatur in civitate res, quin summo expeteret ardore Attici prudens moderatumque consilium[3] ab ejusque ingenii

[1] Cic. *de Sen.* c. I.

[2] Lib. I. Ep. 17. § 6.

[3] Vide praeter loca passim notata Lib. I. Ep. 16. § 4;

perspicacitate absens exposceret, non quid fieret in republica; nam hoc ab aliis quoque audire poterat; sed quid futurum esse ipsi videretur.

Ex magna hac aestimatione, qua Attici prudentiam prosequebatur Cicero, causa item repeti debet, ut supra verbo significavimus, quare tanto studio eum legati loco cum Quinto in Asiam proficisci voluerit, quum sapienti moderataeque Attici agendi rationi speraret fore ut optime se regendum fratris levius et ad iram proclivius ingenium praeberet [1]. Ipse adeo Quintus Atticum omnibus aliis legatum sibi praetulerat, et quam passus est repulsam, eam tam aegre tulit, ut altercatio inde inter utrumque oriretur. Qua ipsa in re eminuit denuo mira Attici animi moderatio; quocirca literis de ea cum amico Marcus agens: «Te in iis rebus», inquit, «quae mihi asperius a nobis atque a nostris et injucundius actae videbantur, moderatissimum fuisse vehementer gaudeo: idque neque amoris mediocris et ingenii summi ac sapientiae judico. Qua de re ad me ita suaviter, diligenter, officiose et humaniter scripsisti, ut non modo te hortari amplius non debeam, sed ne exspectare quidem abs te aut ab

Ep. 18. § 1, § 8; Ep. 20. § 2; Lib. II. Ep. 18. § 4; Lib. V. Ep. 12. § 2; Lib. VII. Ep. 1. § 2; Lib. IX. Ep. 5. § 1; Lib. XIV. Ep. 17. § 1; Lib. XVI. Ep. 11. § 5; Ep. 15. § 3.

[1] Cff. Abbas de St. Réal ad Lib. I. Ep. 15, Ep. 16 (Opp. Tom. III. p. 493, p. 524); Mongaltius, Tom. I. p. 146.

ullo homine tantum facilitatis ac mansuetudinis potuerim» [1].

Sed operae pretium est hoc loco paucis vim animadvertere, quam in tota fere Ciceronis vita ipsâ suâ prudentiâ Atticus habuerit. Ut igitur verbo dicamus, tam in domesticis, quod pluribus exemplis probari possit, quam in publicis rebus, nihil magni exsequi Cicero solebat, nisi Attico suo prius consulto factique comprobatione accepta; quin imo ejus consiliis adeo fuit fretus, ut haud semel jam inita consilia revocaverit et miserit, quando Attico aliter fuerat visum [2]. Nam χρησμῶν instar Attici sententias expiscatus atque amplexus est [3]. Neque tamen propterea quidquam detrectari de Tullii laude velim, cujus sane in rebus gerendis prudentiam tantum ut parvi faciam abest, ut admirari satis eam non possim; sed simul hujus tanti viri de eximia Attici prudentia continuis testimoniis eo magis adducimur, ut singulare plane ei praeconium hoc nomine tribuamus et Ciceronis laudum in capessenda republica, ipso praeëunte, magnam partem Attico vindicemus. Vidimus, quo ardore, singulis temporibus suis, ejus

[1] Lib. I. Ep. 20. § 1.

[2] Hoc ipso Ciceronem adulatum egregie fuisse vanitati Attici opinatus est ceteris hujus obtrectatoribus adscribendus Bernardus, *Nov. reip. lit.*, Gallice editis A. 1716, p. 301, quo loco censuram exhibet editionis Epistolarum, quam paravit Mongaltius. Sed haec leviora.

[3] Lib. IX. Ep. 10. § 5.

opem imploraverit. Evocavit eum ex Graecia, Consulatum petiturus, idque tempus omne apud se retinuit. Postquam in dies majus sibi a Clodio periculum imminere sensit, Pomponium Tullius poposcit, in cujus consiliis et prudentia quantum poneret, credibile non esse diserte affirmabat. « Si me amas » — sic tum Attici operam efflagitans scripsit — « tantum, quantum profecto amas: si dormis, expergiscere; si stas, ingredere; si ingrederis, curre; si curris, advola. Credibile non est, quantum ego in consiliis et prudentia tua, quod maximum est, quantum in amore et fide ponam. Magnitudo rei longam fortasse orationem desiderat: conjunctio vero nostrorum animorum brevitate contenta est » [1]. Mox, Attico maxime auctore, urbe relictâ, exsul ad ejus consilia totum se informavit et, quamvis reluctans subinde, nequaquam ab iis discessit. Proconsul in Cilicia absens, ab Attico, quid sibi agendum esset, avide Cicero exspectabat et ad ejus praecepta plane se accommodaverat. Civili Caesariano bello, Tullius Attici prudentiae se tanquam tuto praesidio commisit, ejusque auctoritate motus plurima vel agere omisit vel studiose peregit. Post Caesaris necem — sed quid plura? Passim id a nobis in vita enarranda expositum est. Hoc unum addere, imo inculcare juvat, quo omnia complectar: si Atticum sejunxeris,

[1] Lib. II. Ep. 23. § 3.

rite cognoscere Ciceronem non poteris. Quocirca mirum videri omnino debet, id nec a Plutarcho observatum fuisse neque satis etiam a plurimis inter recentiores, qui, in Ciceronis laudibus celebrandis haud parci, ad coelum tollere subinde ejus in exsequendis rebus prudentiam solent, Attico vero, cui ipse tantum tribuit, fere nihil tribuere.

Talem in quotidiana quoque consuetudine Pomponius sese praestitit, ut nihil unquam temere ab eo factum se vidisse testantem Ciceronem legamus [1]; cum qua quidem animi moderatione sponte Atticus miram quandam conjunxerat in omnibus rebus *temperantiam*, sive, ut Platonis verbis utar, *καὶ ἡδονῶν τινων καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτειαν* [2]. Hinc partim repetendum, eum gerere in republica nunquam magistratus voluisse oblatosque sibi honores constanter repudiasse. Non servire Atticus pravis affectibus, non provinciarum direptionibus turpe sibi lucrum parare, imo vel suspiciones criminum nisus vitare est animique adeo tranquillitati consulere [3]. Plurima fuere commoda, quae Romanos olim, in primis provinciam sortitos, manebant. Praeter insignem quandam pecuniae vim, quae iis ornandae provinciae causâ ex aerario numerabatur, latus iis patebat

[1] Lib. VII. Ep. 18. § 4.
[2] Plato *de Rep.* Lib. IV. p. 430. E.
[3] Nepos c. VI. § 5.

tum divitiarum augendarum tum potestatis amplificandae campus. Tributis exigendis rem sibi familiarem splendidam conquirere solebant regioque plane decore vivere [1]. Ab hisce omnibus abhorrebat Attici ingenium. Animi servare integritatem, aequitatem, abstinentiam, si quid aliud, per totam vitam studuit. Idem Ciceroni praescripserat, quum is Proconsul designatus in provinciam proficiscebatur; profectum autem literis idem perpetuo fuerat hortatus. Qua de causa ille, ut in provincia sua omnes abstinentia, facilitate, clementia se vicisse existimabat; ita lubens etiam, quidquid praeclarum peregisset, se Attici praeceptis debere ejusque auctoritate inflammatum perfecisse fatebatur [2]. Quippe Pomponii os illi ante oculos solebat versari, quum de aliquo officio ac laude cogitabat [3].

Domesticae quoque Attici vitae rationem habeamus. Novimus, quam lautâ fuerit conditione usus, tum propter divitias jam a patre acceptas, tum propter varias quas bonitate sua consecutus fuit hereditates. In tantis opibus Atticum temperantem cognoscere et frugalem, est omnino quod magnopere admiremur. Fuit enim — teste Nepote, qui id non auditum, sed, quum propter familiaritatem saepe domesticis

[1] Vid. hac de re Middletonus, Tom. II. p. 182 sq.
[2] Lib. V. Ep. 21. § 5. Cff. Ep. 13. § 1; Ep. 15. § 2; Ep. 20. § 6; Ep. 21. § 7; Lib. VI. Ep. 1. § 8.
[3] Lib. VI. Ep. 2. § 8.

Attici rebus interfuerit, cognitum praedicat; — « elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentià munditiem non affluentem affectans. Supellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. — Quum in primis lautus esset Eques Romanus et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, non amplius quam tricena [1] millia aeris, peraeque in singulos menses, ex ephemeride expensum sumptui ferre solebat » [2]. Facilius autem mori huic obsequi poterat, quia eos modo ad convivium vocabat, quibuscum ipsi morum intereedebat similitudo. Hinc ut corpus cibo, sic utilium librorum lectione animum pascere exquisite solebat. Nullam, quod vix crediderìs, ex avunculi aliorumque hereditatibus facta pecuniae accessio exseruit vim in quotidianum Attici cultum vitaeque consuetudinem. Neque prius, accepto patrimonio, in sestertio vicies parum se splendide gesserat; neque tum, auctis magnopere divitiis,

[1] Recepi Hotomanni conjecturam pro vulgari *terna*. Duobus enim florenis in singulos dies ad victum impensis, Atticus et familiam alere et inire convivia nullo modo potuit.

[2] Nepos c. XIII. § 5 — 7. Inde Cicero, cui Laodiceae versanti Atticus fictilia ex oppido Rhoso vasa mandaverat, hanc elegantem ejus in cultu domestico parcitatem respiciens, jocose scribit: « Rhosiaca vasa mandavi. Sed heus tu, quid cogitas? in felicatis lancibus et splendidissimis canistris, olusculis nos soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem? » Lib. VI. Ep. 1 § 13.

in sestertio centies affluentius vixit quam instituerat [1]. Testis etiam sit domus, quam ei Caecilius testamento reliquit, in qua, quamvis paulo antiquiore structurâ, nihil fere commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Quod ne quis avaritiae tribuat seu nimiae parcitati. Nam et bene Atticus habitabat et omnibus optimis rebus utebatur; sed contemnebat magnificas istas villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta; irridebat suorum aequalium in aedificando fucatam elegantiam atque insaniam. Quo factum, ut Pomponio nemo facile minus esset emax, minus aedificator [2]. A suis civibus vel in hoc maxime diversus, nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam, duo tantum in Italia rustica praedia. Quas autem habuit Epiroticas et urbanas possessiones, inde omnis ei pecuniae reditus constabat. « Ex quo cognosci potest, usum eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri solitum» [3]. Pariter temperantem, quamvis divitem, patremfamilias cognoscere licet, si rationem consideras, qua Atticus in omnibus, quos tum cultus domesticus desiderabat, artificibus utebatur. Namque hos non extrinsecus magno pretio emptos sibi studuit comparare, sed omnes domi habuit natos domique factos. Bonitatem magis quam formam

[1] Nepos c. XIV. § 1, 2.
[2] Nepos c. XIII. § 1, 2. Cf. Cic. *de Legg.* Lib. II. c. 1. § 2.
[3] Nepos c. XIV. § 3.

curabat, industriâque assequi quam magnis impensis familiam malebat. « Quod est signum », ut recte animadvertit Nepos, « non solum continentiae, sed etiam diligentiae. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis videas, continentis debet duci: et potius diligentiâ, quam pretio, parare non mediocris est industriae » [1].

Fuerunt tamen, qui, ut turpi praejudicio universe Attici indolem et mores dijudicabant, ita hanc ejus temperantiam pessime interpretarentur et avaritiae nomine vocarent, cui quidem vitio eum adeo indulsisse statuunt, ut ne illiberalissimis quidem quaestibus pepercerit, modo magnam sibi pecuniae copiam conquireret. Negotiatoris igitur partes, ex eorum sententia, Atticus sustinuit, imo tocullionis, et pecuniâ mutuo dandâ rem familiarem sordide auxit [2]. Li-

[1] Nepos c. XIII. § 4.

[2] Hujus rei argumenta visi sibi sunt reperire Abbas de St. Réal in Lib. I. Ep. 18; Lib. II. Ep. 1. (Opp. Tom. III. p. 549, p. 586) et Mongaltius, qui praeter loca laud. respexit etiam Lib. I. Ep. 19; Lib. IV. Ep. 15 (Tom. I. p. 229, p. 255, p. 305 et Tom. II. p. 299). Equidem non nego, inveniri quaedam apud Ciceronem, e quibus efficias, Atticum tam privatis hominibus quam civitatibus pecuniam credidisse; sed nullus locus est, qui foeneratorem, verâ vocis significatione, probat. Loca, quae illi laudant, ut sexcenta alia, jocantem produnt Ciceronem, qui ob rem numariam absentem amicum facete perstringit; quapropter, quod dicit *se Atticum non in tocullionibus habuisse*, eo ipso satis ostendit, se longe aliter de amico sentire. Sed fac, Atticum

brarios servos eo consilio aluit, ut libris cum Ciceronis tum vero etiam aliorum scriptorum describendis rem faceret [1]. Ludum gladiatorium, quem sibi emisse Atticum e Cicerone constat, hac una de causa sibi comparavit, ut gladiatores suos, per lanistas edoctos, magistratibus Romanis, munera populo exhibentibus, magno pretio elocaret [2]. Denique contra

pecuniâ collocandâ subinde foenus sibi parasse, potuitne hoc a Nepote, quem nullius fidei scriptorem habent, tanquam certus pecuniae reditus animadverti? Debetne Attico vitio duci et hodiene alicui ducitur, si quis justo foenore pecuniam collocat? Injusto autem lucro usum Atticum fuisse, colligi posse vehementer nego. Tentavit idem Abbas, *Cesarione* p. 331, laudans Bosium ad Lib. VII. Ep. 13. § 5, ubi: « Aenigma Oppiorum ex Velia plane non intellexi. Est enim numero Platonis obscurius. Jam intellexi tuum. Oppios enim de Velia *succones* dicis » rell. Jam audi festivam Abbatis ineptiam: « *Il* (Atticus) *tenoit Banque à Rome, dans sa propre Maison, sous le nom de certains Oppius, qui étoient à son louage, et qui en faisoient Profession ouverte. Mais, je pardonne à Nepos de l'avoir ignoré; car, de la maniere* Enigmatique *dont Atticus en parle à Ciceron, il est aisé de juger, qu'il s'en cachoit avec un soin extrême, et qu'il n'en faisoit pas confidence à son Historien* ». Hoc nimirum est aenigma aenigmate solvere!

[1] De iis cap. VII. paucis agere juvabit.

[2] Ita Mongaltius explicat Lib. IV. *ad Att.* Ep. 4 b. § 2, quae opinio post eum communis omnium fere interpretum fuit. Cf. Bernard, *Nov. reip. lit.* p. 299 sq. Difficile omnino est statuere, quid illis gladiatoribus Atticus voluerit. Eum delectationis causâ ludum emisse, non credam; multo etiam minus, ut ipse more principis cujusque Romani munera

Nepotis fidem, aggressus Vir doctus est Publicanum Atticum facere. Nam, etsi ille Atticum tradit nunquam publica opera conduxisse, neque pro eorum redemptoribus fidem suam et bona interposuisse [1], credere tamen corrupto Ciceronis loco maluit, quam Attici avaritiam incusandi opportunitatem mittere [2].

ederet: nunquam enim honores petiit. Id certe constat fere, Atticum elocandis gladiatoribus rem facere non studuisse, ut e Cicerone discimus, cujus posteriora verba viri docti noluerunt animadvertere. Sic enim scribit: « Medius fidius, nae tu emisti ludum praeclarum: gladiatores audio pugnare mirifice. Si locare *voluisses*, duobus his muneribus liberasses ». Quodsi tamen lucrum Atticus spectavit, dubito, an parum honestus ille quaestus fuerit, quem tantum abest, ut perstringat Cicero, ut magnopere eo delectetur. Vid. Ep. 8a. § 2. Equidem amplector potius Corradi conjecturam, existimantis, Atticum Caeciliani funeris causâ gladiatores istos emisse. Videntur enim divites Romani testamento subinde heredibus suis gladiatorios ludos imperasse, quae praestituta die darentur posteaque renovarentur. Cujus rei argumentum esse forsitan possit Ciceronis *Orat. in Vat.* c. 15 f. Nec temporis ratio obstat. Mortuus Caecilius est circiter m. Oct. A. U. C. 696. Omnium primum autem ludi gladiatorii mentio fit Lib. II. *ad Q. Fr.* Ep. 6. § 5, scriptâ ineunte Aprili A. U. C. 698. Sed hanc quoque litem dirimere vix aliquis possit.

[1] Ita recte verba Nepotis c. VI. § 3 explicat Doct. de Fremery l. l. p. 39.

[2] Abbatem dico, *Cesar.* p. 330. Cf. *Diarium liter. Hag.* p. 142. Locus, qui respicitur, est Lib. II. Ep. 15. § 4, ubi unâ literâ mutatâ pro *publicanus* legitur *publicanis*, co-

Sed haec omnia non tanti aestimo, ut latissime hoc loco de iis disputandum sit; in notis ea indicasse et strictim eorum levitatem animadvertisse sufficiat. Neque vero rem familiarem quaeri iis rebus, a quibus abest turpitudo: conservari diligentiâ et parsimoniâ: iisdem etiam rebus augeri, vetat honestum atque decorum [1]. Nam Atticus tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut Antonii gratiâ quum augere posset possessiones suas, nulla in re usus sit eâ, nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis [2]. Quid? quod nunquam ad hastam publicam accessit, bona empturus proscriptorum, quibus vili pretio emendis alii rem augere studebant [3]. Denique, persuadere mihi nullo pacto possum, tantam, quantam censores illi volunt, Attici avaritiam esse potuisse, si liberalitatem cogito integerrimam, qua uti erga alios consuevit, cui virtuti quid magis adversarium inveniri avaritiâ potest? Itaque, age, si cui etiam scrupulus restat, eum tollere conemur seorsum agen-

dicis cujusdam auctoritate. Vid. Graevius ad l. l. Cff. *Bigarrures curieuses* p. 37 sqq.; *Nov. reip. lit.* A. 1686 p. 1409. Aegre postea ab opinione Abbas discessit, se tamen eo consolans, quod alibi insignia sibi reperire videbatur avaritiae Attici exempla. Vid. Opp. Tom. III. p. 657. Neque huc referenda res Sicyonia, de qua egimus p. 39 sq. not. 3.

1 Cic. *de Off.* Lib. II. c. 24. § 10.

2 Nepos c. XII. § 2.

3 Nepos c. VI. § 3, quem docte interpretatur de Fremery p. 29 sqq.

do de *liberalitate*, quae Attici ingenio maxime propria fuit.

« Pecuniae », praecipit Cicero, « fugienda cupiditas: nihil enim est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficientiam liberalitatemque conferre »[1]. Neque tamen ex ejusdem sententia omnis est probanda liberalitas, sed eâ utendum, quae prosit amicis, noceat nemini[2]. Ejusmodi Attici quoque liberalitas fuit, quam, nullo fere tempore excepto, a juventute inde praestare tum amicis solitus est tum plurimis aliis hominibus, quibus iniquam se fortuna praebuisset. Omnium primum eam virtutem in Attico deprehendimus, quum adolescentem Marium, suum a teneris inde condiscipulum, tum patriae hostem judicatum, afflictâ fortunâ opibus suis juvit. Integra prorsus ea munificentia fuit, quippe illi tributa, a quo plane nihil sperare poterat neque etiam fore, ut quidquam gloriae sibi inde conciliaret[3]. Satisfaciebat in eo naturali suae bonitati et benefaciendi studio. Quo autem tempore vitam

[1] Cicero *de Off.* Lib. I. c. 20. § 7.

[2] l. l. c. 14. § 5.

[3] Contrarium quidem placuit, more solito, quo omnia avide in pejus arripit, Abbati de St. Réal, *Cesar.* p. 334; sed de tripode decernere quam dicta probare omnino est facilius.

in mediis Atheniensibus degebat, ecquis ejus praesentis beneficia non est admiratus; ecquis absentis non collaudabit? Diu enim postquam in patriam urbem redierat, veterum hospitum memor universos Athenienses frumento donavit singulisque septem modios tritici dedit [1]. Quibus quidem officiis longe profecto aberat, ut, favore civium sibi comparato, imperium quoddam Pomponius affectaret. Constanter enim, ut vidimus, abnuit omnes honores, qui ultro ipsi offerebantur et tum Athenis et postea in patria. Nec quidquam turpe neque illicitum frumenti illa donatione continebatur. Non *largitio* illa *in cives* fuit, sed *in hospites liberalitas* [2].

Nepos c. II. § 6. Cf. Cic. Lib. VI. Ep. 6. § 2. Non autem faciendum cum iis est, qui bis ejusmodi donum ab Attico in hospites veteres collatum fuisse existimant. Quod si locum habuisset, procul dubio Nepos narrasset; tum vero etiam major fuit illa donatio, quam ut bis eam factam suspicari liceat. Temporane igitur conturbavit Nepos? Vero conturbavit, sed ita ut nihil plane intersit et nos ipsi, de Pomponio Athenis degente verba facienti, facile demus veniam, quod non anxie sit tempora secutus, quum id spectaret potius, ut singulas Attici virtutes digna ratione praedicaret quam accurate ad temporis normam proponeret. Cff. de Fremery p. 21 et Lieberkuehnius p. 55. Idem dicendum de auxilio, quod Ciceroni ex patria fugienti Atticus tulisse a Nepote dicitur, c. IV. § 4.

[2] Ita diserte Cicero Ep. laud. Nihilominus Abbas Attici liberalitatem suspectam reddere conatur. Nam, loci Ciceroniani priore parte appositâ, sic disserit: «*Ce Dis-*

Plura eaque maxima servata nobis indicia sunt et supra allata, quae liberalem Attici indolem abunde declarent. Unum cogita Ciceronem, qui innumera fere ei debuit. Civile recordare Caesarianum bellum, in quo quae amicis suis opus esse putabat, ad Pompejum proficiscentibus, Atticus omnia de suis opibus suppeditavit. Recordare item ejus in Brutum et Serviliam beneficia; quorum hanc post filii mortem perpetuo est tuitus, illi, satis florenti, aerarium quidem cum ceteris sui ordinis principibus constituere noluerat, sed fatis iniquis agitato munifice succurrit. Adjunge tandem his, quae post bellum Mutinense ab Attico in Antonii uxorem, liberos, familiares collata fuisse tradidimus. Reputa tecum, quam ingenue quaestum omnem aspernaretur, modo memorem gratumque cognoscerent. Spes rerum recuperandarum Antonio nulla tum erat, ut nemo temporis causâ Atticum liberalem posset suspicari. Quin etiam suo quodam periculo id agere videbatur, erantque inter proceres Romanos, in quorum reprehensionem propter sua beneficia incurreret, quod parum odisse malos cives videretur.

cours fait voir, ce me semble, que ces sortes d'Actions étoient du moins fort suspectes en ce tems là, où l'on en pouvoit mieux juger qu'à présent; et l'Autorité de Ciceron est bien d'aussi grand poids en cette matiere, que celle de Nepos», *Cesar* p. 336. Sed consulto omisit posteriora Ciceronis verba, prouti jam observatum video in opusc. *Bigarrures Curieuses* p. 50.

Sed vel sic tamen Atticus qua inceperat viâ fortiter pergebat, et sui judicii potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent [1]. Reverso denique in Italiam Antonio, proscriptioni ipse exemptus, nihil eum aliud egisse novimus, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio, quo aperte declarabat, non secus absentium quam praesentium curam a se haberi [2]. Haec igitur omnia si colligimus, non potest non eximia quaedam nobis videri Pomponii liberalitas, et ex animo Nepoti nostrum calculum adjiciemus, narranti, nunquam eum florentibus se venditasse, sed afflictis semper succurrisse [3].

Quodsi vere ea a nobis disputata sunt, — quid tandem Nepotis atque Ciceronis fidei, qua omnia nituntur; pertinaciter reluctemur? — incondita et frivola videri nobis eorum sententia debet, qui in omnibus illis, quae modo recensuimus, Pomponii beneficiis nihil laude dignum se invenire contendunt et Atticum iis annumerant, qui, ut cum Cicerone loquamur [4], non tam naturâ liberales, quam quadam gloriâ ducti, ut benefici videantur, faciunt multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur. Refertur huc in primis Attici in re tyrannicidarum agendi ratio, de qua suo loco

[1] Nepos c. IX. § 6, 7; c. X. § 1.

[2] c. XII. § 5.

[3] c. XI. § 4.

[4] Cic. *de Off.* Lib. I. c. 14. § 9.

e Nepote exposuimus. Quod enim ille simul cum ceteris conferre noluerit, cerni in eo affectionem quandam, Attico maxime propriam, qua studuerit beneficiis suis prae aequalibus eminere, metumque animadverti invidiosum contendunt, ne cum aliis boni facinoris gloria sibi communicanda foret [1]. Nos, procul a tali suspicione, recentiorum commenta antiquis probatae fidei monimentis neque anteponimus neque aequiparamus. Quae autem a Nepote afferuntur de Attici liberalitate exempla, iis luce clarius probatur, quod voluit, eum non fortunae servire fuisse solitum, sed hominibus [2]; probatur, inquam, Attici liberalitatem neque temporariam fuisse neque callidam, quippe e perpetua ortam naturae bonitate, quae nullis casibus neque agatur neque minuatur [3]. Est igitur, ut eo, unde digressi sumus, revertamur, quod ex animo Nepoti credamus, affirmanti, nullâ aliâ de causâ aerarium Bruto Atticum constituere noluisse, quod officia amicis praestanda sine factione existimaret, indeque factum esse, ut Atticus et tum et semper a talibus se consiliis removerit [4]. Neve magis Pomponii liberalitatem politico cuidam consilio tribuamus, ut in variis sibi oppositis partibus haberet, quorum, si superassent, praesidio sine

[1] Abbas de St. Réal, *Cesar.* p. 334 sqq.

[2] Nepos c. IX. § 5.

[3] c. XI. § 3; c. IX. § 1.

[4] c. VIII. § 4.

ullo discrimine se committeret[1]. Nam etsi brevi intervallo tum in Brutum tum in Antonium sua beneficia contulit, non tamen, illo abjecto, in hujus se favorem insinuavit[2]. Quod si fecisset, crimen illud jure in eum cadere posset[3]. Antonio autem de potentiae gradu delapso, Octaviani gratiam non ambiit; cujus quidem familiaritatem consecutus est nulla alia re, quam elegantia vitae, qua ceteros ceperat principes civitatis[4]. Itaque, ut haec mittamus, quibus diutius immorari taedet, quum is esset Attici laudabilis mos, ut victis semper partibus succurreret, a quibus sperari nihil poterat, neque potentibus simul adularetur, injustae istae censorum criminationes cum ceteris similibus tenues evanescunt in auras, praeter auctorum malevolentiam nihil aliud probantes.

Eo pluris aestimanda Pomponii beneficentia est, quod suis se benefactis nequaquam extulit. Procul hoc a generosa ejus indole. Tamdiu suorum beneficiorum meminerat, quam ille gratus erat, qui acceperat; contra, quae ipse aliis accepta referebat, ea grato pectore immortali memoria recolebat. Ita ille pecuniae non servus, sed dominus, sapienter

[1] Vid. *Diarium liter. Hag.* p. 142 sq.

[2] Nepos l. l. § 5 f.

[3] Fecisse perhibetur a Middletono, Tom. III. p. 418, sed sine causa.

[4] Nepos c. XIX. § 2.

regere ex usu fortunam didicerat, factoque poëtae probavit effatum: *Sui cuique mores fingunt fortunam*[1]. Ut liberalitate plurimos sibi solebat devincire, ita erga universos tantâ erat *modestiâ* atque *humanitate*, ut sui amore caperet omnes multique ejus familiaritatem expeterent. Sed de hac Pomponii virtute datâ operâ est agendum.

Quanta fuerit in Attico elegantia, quanta in primis humanitas, vel ipsum ejus cognomen, quod inde potissimum eum nactum fuisse diximus, satis declarat; unde colligi possit, quam unanima ejus apud populares hoc nomine laus esset et existimatio[2]. Athenis enim, cultus illâ elegantioris antiquissimâ sede, verae humanitatis et doctrinae matre[3], ita vixit animumque excoluit, ut tandem ingenii morumque cultu ne Atticis quidem ipsis cedere videretur. Accessit insignis animi modestia, quam quidem tantam jam tum habuit, ut, spretis omnibus honoribus, privatus degeret praeoptaretque communis esse infimis, quam gloriâ quemquam antecedere. Catonis instar, qualem sibi et Cicero eum

[1] Nepos c. XI. § 5, 6.

[2] Inde Cicero ad Curium: « Vides exaruisse jam veterem urbanitatem: ut Pomponius noster suo jure possit dicere, *« nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam »*, Lib. VII. *ad Div.* Ep. 31. § 2.

[3] Legenda omnino hac de re est Cl. Creuzeri *Orat. de civ. Athen. omnis humanitatis parente*, recusa Franc. ad M. 1826.

habuit [1], bonus esse malebat quam videri. Nulla eum nec tum nec postea ambitio rexit [2]; suâ sorte contentus in rerum bene gestarum conscientia vitae summum decus ponebat, id cavens semper, ne qua in re jure plecteretur. Gerere plurimos magistratus propter gratiam vel dignitatem potuit; sed omnes respuit, ne Senatorium quidem ordinem affectans [3]. Neque tamen, etsi unus in paucis modestissimus, semet ipsum abjecit. Elegantem quandam servare simul dignitatem sic didicerat, ut ejus et vita et oratio consecuta esset difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate [4]. Hinc quoque mendacium neque ipse sciens dicebat neque ferebat in aliis. « Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur an amarent » [5].

Ita Atticus, quos semel amicos habuit, eos perpetuo sibi omnes retinuit, cognatos summa pietate coluit. Inde — nam de M. Cicerone notissima res est — illum inter et Q. Gellium Canum, a puerili jam aetate, tanta intercessit conjunctio, ut non solum nihil de mutuo amore remitterent, sed ad

[1] Lib. XVI. Ep. 7. § 4.
[2] Cf. Cic. Lib. XIII. *ad Div.* Ep. 1. § 5.
[3] Nepos c. XI. § 6 f.; c. XIX. § 2.
[4] Cic. *de Legg.* Lib. III. c. 1. init.
[5] Nepos c. XV. § 1.

extremam usque aetatem in dies eorum amicitia creverit [1]. Inde adolescens seni Sullae fuit jucundissimus, senex adolescenti Bruto; cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixit, ut judicare difficile sit, cui aetati fuerit aptissimus [2]. Inde denique morosum illum severumque senem, Q. dico Caecilium, eà pietate coluit atque veneratus est, ut quem omnes fugiebant, ei omnibus esset caritate prior [3]. Pari idem fuit in matrem atque sororem indulgentia, humanitate, pietate; unde in illius, quam nonagenariam extulit, funere vere poterat gloriari, se cum ipsa nunquam in gratiam rediisse, cum sorore nullam exercuisse simultatem. «Quod est signum», ait Nepos, «aut nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret». Naturam ille artium ingenuarum et philosophiae ope ita excoluerat et perpoliverat, ut ad eam virtute informandam et corroborandam omne studium videretur adhibuisse [4]. Amicorum discordiam ferre eo minus poterat, quod ipse pacis studio paene incredibili ducebatur. Itaque

[1] Nepos c. X. § 3.

[2] c. XVI. § 1.

[3] c. V. § 1. Causam ejus rei reperit Mongaltius in hereditatis spe, Tom. II. p. 112, quam parum humanam sententiam notasse sufficiat.

[4] c. XVII.

inter aemulos gravissimos, Hortensium atque Ciceronem, interjectus, tantâ prudentiâ pacem et concordiam servare nisus est, ut invidiosa illa utriusque aemulatio suis fere se finibus continuerit nec ad rumpendam familiaritatem valuerit. Quum enim Atticus apud utrumque tantum polleret et gratiâ et amicitiâ, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, ille id, quod erat difficillimum, effecit, ut inter quos tanta [1] laudis esset aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque tàlium virorum copula [2]. Tandem, quo fuerit pacis amore, inimicitiarum odio, hinc maxime colligas licet, quod neminem unquam vel suo nomine vel subscribens accusavit; in jus de sua re nunquam ivit. Ejusmodi quid magis etiam demirari licet, si invidiosos cogitas et irritabiles ejus aetatis hominum animos, qui certe, si qua in re se ab Attico laesos arbitrati fuissent, ei litem intendere reumque facere haud neglexissent [3].

Sunt hae humanitatis, modestiae, pietatis, sunt, ut omnia simul complectamur, virtutis haud vulgares

[1] Praestare mihi haec lectio videtur vulgari *tantae*.

[2] Nepos c. V. § 4. Cf. Baylius voce Atticus not. II. Haec autem Nepotis traditio confirmatur luculente Lib. IV. *ad Att.* Ep. 6. § 3, quo loco docemur, Atticum exhortatum Ciceronem fuisse, ut *Hortensiana* scribendo studeret aemulum placare, quem exsilii tempore iniquius habuerat. Cf. Lib. III. Ep. 15. § 2.

[3] c. VI. § 3, ad quem locum conferenda omnino sunt quae habet Doct. de Fremery p. 41 sqq.

Attici laudes, quas religiose e veterum scriptis haustas retulimus. Et tamen, mireris licet, honestatem animique candorem ita nonnulli Attico denegarunt, ut quamcunque virtutem ei adscriptam vidimus, falsam illam ac simulatam scriptis suis declararint. Singula crimina expedire nec vacat nec opus est; sed quum redeant omnia ad *simulatam* Attici humanitatem, de hac accuratius agere nos et juvat et oportere videtur.

In prioribus, quae ad nos pervenerunt, Ciceronis ad Atticum Epistolis, mentionem ille saepius facit de simultate quadam, hunc inter et Luccejum, nobilem virum, oborta. Quae causa altercationis fuerit, dubium est; sed videtur Atticus, aliquamdiu ante, quam certam sedem Romae poneret, captus fuisse arbiter litis dirimendae inter Luccejum ejusque adversarium [1], secundum hunc vero pronuntiasse eoque arbitrio Luccejum offendisse [2]. Atticus, haec inter Româ relictâ, qua erat humanitate, Ciceronem, communem utriusque amicum, epistolis saepe fuerat adhortatus, ut Luccejum placare ipsique reconciliare studeret. Allegationem Cicero suscepit, sed mirandum in modum Lucceji animum ab Attico alienatum est expertus, ut ne causam quidem elicere posset immutatae voluntatis; sed quia nullam

1 Suspicor fuisse Sallustium ex Lib. I. Ep. 11. § 1; Ep. 3. § 3.

2 Vid. Graevius ad priorem Ciceronis locum.

videbat gravem subesse causam, magno opere confidebat, illum fore in officio et in sua potestate. In ipso tamen Pomponio Tullius maximam spem reconciliandae gratiae ponebat. Scribit igitur — nam integra verba apponere opus est —: « Tametsi jactat ille quidem illud tuum [1] arbitrium et ea, quae jam tum, quum aderas, offendere ejus animum intelligebam; tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo ejus insederit, quod neque epistolae tuae neque nostra allegatio tam potest facile delere, quam tu praesens non modo oratione, sed tuo vultu illo familiari tolles, si modo tanti putaris [2] id, quod, si me audies et si humanitati tuae constare voles, certe putabis. — Incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior et in hac iracundia obfirmatior: sed haec aut sanabuntur quum veneris, aut ei molesta erunt, in utro culpa erit » [3].

[1] Sic cum Graevio, Schuetzio aliisque legendum pro *suum*: nam, ut observavit recte Mongaltius, mirari subit, quomodo Luccejus, si ipse fuisset arbiter, potuisset hoc suo arbitrio offendi.

[2] Propter proxima futura *tolles*, *audies*, rell. legam sic pro vulgato *putabis*, quod ex sequenti perperam mutatum esse videtur. Lectionem *putaris* confirmat codex Balliol., teste Manutio *Var. Lectt.* ad h. l.

[3] Lib. I. Ep. 11. § 1. Cetera loca, quae litem illam spectant, sunt Ep. 5. § 5; Ep. 8. § 1; Ep. 10. § 2; Ep. 14. § 7.

Unusquisque, opinor, ex hisce facilius inexorabile Lucceji ingenium, quam Attici candorem incusabit. Si vero audierit, quae hanc in partem fuerunt disputata, parum aberit, quin ne Latine quidem intelligere sibi videatur. Patere enim ex his aliisque Ciceronis verbis quidam statuunt, Atticum ex eo hominum fuisse genere, qui blanditiis tam scite norint uti, tam turpiter adulari, ut non tantum in omnium sese favorem artibus suis et calliditate insinuant, sed etiam probitatis et candoris speciem sibi studeant comparare, qua, quamvis nebulones, optimâ apud omnes famâ utantur et consummatae virtutis nomine ab omnibus celebrentur [1]. Equidem lubentissime fateor, me ejusmodi Attici vitium nullibi reperisse neque certis rationibus ductum suspicari posse. Contraria omnia docent quae de Attici humanitate et elegantia vitae, de integra ejus liberalitate, quae amicis nunquam defuit, ex Tullii et Cornelii scriptis attulimus, nec intelligo, quae indicia viri docti praeterea habuerint, quibus suam sententiam superstruxerint. Quid ergo? Negabimus, ut factum video [2], Ciceroni et Nepoti

[1] *Diar. lit. Hag.* p. 143 sq.; Abbas de St. Réal, *Cesar.* p. 317 sqq.; idem ad Lib. I. *ad Att.* Ep. 11 (Opp. Tom. I. p. 405). Huic suffragatus est Mongaltius, Tom. I. p. 43. Cf. Bernard, *Nov. Reip. lit.* A. 1716 p. 298 sq. Cesarionem ob hanc sententiam impugnatum lege a Rainssant, *Bigarrures Curieuses*, p. 34 sq.

[2] *Cesar.* p. 328.

omne ingenii acumen, omnem perspicacitatem, omnem denique prudentiam, et censoribus tribuemus, ut illi, quamvis aequales et familiares, praejudicio cincti animadvertere tantam amici nequitiam haud potuerint, hi vero, quamvis multis post seculis florentes, clare viderint, quacunque praejudicatâ opinione liberi? O ineptum Ciceronem! qui eo processeris, ut talem impostorem ex omnibus amicis maxime dignum judicares, ad quem de vera amicitia librum scriberes. O te dementem! qui nebuloni isti et te ipsum et quos carissimos habuisti trepidissimis temporibus commiseris. Tuine misereamur et, quam aequales etiam celebrarunt, ingenii sagacitatem atque acumen explodemus? Avertatur, quaeso, istud omen. Illos potius malae fidei insimulemus, qui non modo certissimo tuo amico omnem interdicere honestatem, sed tuam item in lite componenda vanitatem exagitare tuumque candorem animique integritatem suspectam reddere sunt conati [1]. Ita-

[1] Peccasse graviter Cicero iis videtur, quod Pomponio affirmasset, ipsum, quocunque tandem modo res eveniret, illaesum fore; contra, omnem molestiam in Lucceji caput redundaturam. Explicant ita Ciceronis verba: «Ei molesta erunt, in utro culpa erit». Vidd. *Diarium Hag.* p. 130 sqq. et *Cesar.* p. 317, p. 325 sq. Tullii vero verbis quis non hanc inesse sententiam vidit: Quod si tuus adventus ad simultatem componendam nihil effecerit, molestia erit illi imponenda, cujus culpâ factum fuerit, ut uterque in gratiam redire nequeatis? Cf. Fabricii *Bibl. Lat.* ed. Ern. Tom.

que sic statuimus. Quod si Atticus eâ fuisset animi levitate eâque nequitiâ, qua quidam voluerunt, quod si haud dubie virtutis simulatione honestatis et humanitatis famam conquirere sibi studuisset, certe solertissima quaeque suorum aequalium ingenia, eaque rebus suis providentissima, nequaquam eum in modum potuisset in fraudem et errorem inducere, ut nemo perfidos istos mores agnosceret, agnitos palam tanquam pessimos humanaeque societati perniciosissimos praedicaret. Nihil iis fuisset impedimento: nullis enim Pomponius erat muneribus, nulla civili auctoritate et potentia ornatus, qua iis metuendus exstitisset. Quid? quod ipsa illa diversissimorum ingeniorum familiaritas, quam recentiores ei vitio verterunt, fraudi tantae revelandae egregie favisset. Praeterea parum congrua videri tam foedo

I. Lib. I. c. 8. — Verbo autem monuisse sufficiat, veteres amicos postea sibi fuisse reconciliatos, quod e. g. intelligitur e Lib. IV. Ep. 6. § 4; Ep. 9. § 2. De qua renovata gratia haec notat Abbas p. 326 sq.: « *C'est ce qui arrive d' ordinaire, quand on a affaire à des Gens du Caractere d' Atticus. Quelque persuadé qu'on soit de leur perfidie, comme ils n' en font point de grossiere, et qui soit sans excuse bonne ou mauvoise, ils employent tant d' Amis communs pour les raccommoder, qu'à la fin on est contraint de se rendre* ». Attici porro φιλαυτίᾳ, cui accesserit inevitabilis malae conscientiae vis, reconciliationem tribuit. Vim enim illam summos etiam nebulones, quidquid ad reprimendum instituant, non minus perdomare quam maximas beluas!

ingenio debet *integra atque incorrupta* fides, qua omni tempore omnique in re amicorum commodis prosperit eaque quavis ratione tuitus est. Haec Attico propria fuit virtus dignaque, de qua seorsum absolvamus.

De diligentia et fide, qua in rebus privatis Atticus erga amicos usus est, Nepos: « Quidquid », inquit, « rogabatur, religiose promittebat: quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod praestare non posset. Idem in nitendo, quod semel adnuisset, tantâ erat curâ, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertaesum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis [1], (Marii, Q.) Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea Equitum Rom. negotia procuraret » [2]. Adnumeremus hisce in primis, quae rebus perturbatis plurimi amici, de statu suo dejecti, ab eo acceperunt. Nihil obstitit varia eorum sentiendi ratio; omnes aeque ei curae fuere. De Cicerone vero quid dicamus? Huic Atticum in omnibus ejus periculis singularem fidem praebuisse docet Nepos [3]; nos autem quo modo et quibus temporibus id factum

[1] Hunc in Attici amicis fuisse indicat Lib. II. *ad Att.* Ep. 1. § 8.

[2] Nepos c. XV. § 1 — 3.

[3] c. IV. § 4.

fuerit, passim monuimus, ut ea repetere non sit opus. Patuit enim inde, tam in domesticis quam in civilibus negotiis Ciceronem assiduam ac fidelem Attici curam adeo praeclare fuisse expertum, ut nulla unquam in re frustra ejus operam desideraverit; patuit, non minus amicis quam sibi Atticum vixisse. Gratus ejus officia Tullius agnovit, quem veracissimum testem paulisper audiamus. Post Consulatum suum, ante exsilium, sic ad Atticum scribit: « Amoris erga me, quum a fraterno amore domesticoque discessi, tibi primas defero. Vidi enim, vidi penitusque perspexi in meis variis temporibus et sollicitudines et laetitias tuas. Fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua jucunda et timoris consolatio grata. Quin mihi nunc, te absente, non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suavissima tecum solet esse, maxime deëst. — Atque harum rerum commemorationem verecundia saepe impedivit utriusque nostrûm. Nunc autem fuit necessaria propter eam partem epistolae tuae, per quam te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse voluisti » [1]. Sic Ciceroni Atticus in publica re socius et in privatis omnibus conscius et omnium sermonum et consiliorum particeps esse solebat [2], fuitque omnino, quem

[1] Lib. I. Ep. 17. § 5 — 7.
[2] Ep. 18. § 1.

certum in re incerta amicum appellare jure possis.

« At tu quidem quaecunque in laudem Attici a Cicerone dicta fuerunt, studiose congessisti; quae vero idem crimina in illum contulit, ea non satis videris attendere. Epistolam quandam lege, a Tullio exsule scriptam, et quid de Pomponio judicandum sit, vide. » Haec mihi jam objecta audio; saltem objici possunt [1]. Describam igitur sententiam illam Tullianam: « Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam, quod aut in me ipso satis esse consilii decreras aut te nihil plus mihi debere, quam ut praesto esses; quoniamque ego proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea praesidia neglexi; totam Italiam in me erectam ad me defendendum destitui et reliqui; me, meos meis tradidi inimicis, inspectante et tacente te; qui, si non plus ingenio valebas quam ego, certe timebas minus: si potes, erige afflictos et in eo nos juva: sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus, et nos aliquando aut objurgare aut comiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem: meam amentiam accuso, quod a te tantum amari, quantum ego vellem, putavi: quod si fuisset, fidem eandem, curam majorem adhibuisses;

[1] Vide *Cesar.* p. 332; *Diar. lit. Hag.* p. 145 sq. Illi se opposuit Raiussant, *Bigarr. Curieus.* p. 42 sq.

me certe ad exitium praecipitantem retinuisses; istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses» [1]. Sane locus iste prius dicta quodammodo subvertere fidemque Nepotis infringere videtur [2]. Quod enim luculentius exhiberi documentum possit, quam ipsius Ciceronis contraria fere statuentis? Accedit etiam, quod Atticus a Cicerone saepius, ut ad se proficisceretur, rogatus, amici preces est aspernatus et ne respondisse quidem ad eas videtur. Quod ipsum dubitatum fuit, an non tribui debeat mori cuidem Attici, quo Ciceroni quidem ex omnibus amicis maxime diligeret et adjuvaret, sed id caveret semper, ne se periculis dare cogeretur vitaeque tranquillitatem turbare [3]. Videamus, quid de istis existimandum sit.

Ad posteriora quid summatim responderi oporteat, in superioribus me attingere memini. Atticus enim bene viderit', se, Ciceronem si in exsilium sequeretur,

1 Lib. III. Ep. 15. § 7. Cf. § 4.

2 Paulo impudentius eo processit l. l. Abbas de St. Réal, ut haec, Nepotem respiciens, pronuntiaret: « *Je ne puis assez admirer l' Impudence de cet Ecrivain, d'ôser avancer un Fait si positif, dans un Ouvrage, où il parle avec éloge des Lettres que Ciceron a écrites à son Héros; pendant que ces mêmes Lettres disent tout le contraire, et qu'elles sont pleines de Reproches, et de Plaintes très justes et très fortes, que Ciceron y fait d' Atticus à Atticus même* ».

Suspicatus id est Middletonus, Tom. I. p. 422.

nihil plane ad eum restituendum conferre atque efficere posse, sed animi maerorem tantum augere; contra, si Romae maneret, tam consiliis ei prodesse quam suâ apud proceres Romanos auctoritate plurimum ad revocandum Ciceronem proficere. De laudata vero epistola haec potissimum animadvertenda sunt. Scripsit illam Cicero animi maxime pendens, calamitatis suae pondere vehementer commotus, quod facit, ut verba ejus urgere non nimis debeamus. Praeterea, quod parum candide neglectum est a recentioribus, injuriae suae memor, semet ipse continuo revocat dictorumque iisdem literis veniam petit. « Hic mihi ignosces. Me enim ipsum multo magis accuso; deinde te, quasi me alterum: et simul meae culpae socium quaero. ac si restituor, etiam minus videbimur deliquisse: abs teque certe, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur » [1]. Fuitne igitur adeo sibi inconstans Cicero, ut eâdem epistolâ plane contrarium scriberet? Fuit; sed, quod significavi, temporis fortunaeque ratio habenda est. Attende, quaeso, optimi viri fatum, patriâ, quam ab interitu servaverat, ejecti, suis, domo bonisque privati, in maximo vitae versantis discrimine, consilii prorsus egentis, qui quo tuto sese verteret, quid ageret, fere ignoraret: attende, inquam, tantas Ciceronis miserias, et istam

[1] Ep. laud. § 4. Cf. § 8.

dictorum discrepantiam, istas de Attici negligentia querelas mirari desine [1]. Atticus certe attendit lubenterque adeo acerbis amici criminationibus ignovit. Quod splendidum denuo praebet nobis ejus humanitatis exemplum gratoque animo a Tullio est acceptum. « Quod me vetas », inquit, « quidquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum aut praetermissum videretur, geram tibi morem et liberabor istâ curâ : tibi tamen eo plus debebo, quo tua in me humanitas fuerit excelsior quam in te mea » [2]. Addantur hisce, quae post reditum ipse Cicero de Attici in se collata opera, studio, diligentia, labore ingenue testatur, ut de constanti Pomponii erga Tullium fide omne dubium tollatur [3].

Haec igitur ad Atticum contra iniqua commenta vindicandum satis sunto. Quid in Triumviratu, proscripto ab Antonio Cicerone, egisse existimari jure debeat, alibi expositum est. Neque quidquam Attici fidei atque candori obstat, ut quidam volunt, quod saepius eodem tempore plurimis sibi invicem inimicissimis ille amicus exstitit. Non hinc statuen-

[1] Maledica Tullii in Hortensium verba, cujus in primis invidiae mala sua tribuit, eâdem ratione explicantem video Doct. Luzac, *disp. de Q. Hortensio*, p. 153 sq. Cf Mongaltius ad Lib. III. Ep. 9 (Tom. II. p. 44 sq.).

[2] Lib. III. Ep. 20. § 3.

[3] Lib. IV. Ep. 1. § 1.

dum, eum in amicitia Atticum fuisse, qui ipse uniuscujusque amicum se simularet, unumquemque amicum re vera haberet, eum, qui, omnia ad se referens, suis unice rebus provideret. Ita demum fieri potuisse, ut Marium atque Sullam, Clodium atque Ciceronem, Antonium atque Brutum eodem tempore coleret [1]. Nihil haec obstant. Omnes pariter ejus benevolentiam fidemque nunquam non sunt experti. Candorem autem animi eo ipso maxime prodidit, quod, inter tam diversissimas partes interjectus, nunquam ullas offendit. Talem quum Atticum Cicero cognovisset, testari merito poterat, se vel plurima vincla summae cum illo conjunctionis optare, etsi essent amoris artissima: tantum abesse, ut ex eo, quo adstricti essent, laxari aliquid vellet [2]. Neminem enim habebat, ne se quidem ipsum, quicum tam audacter omnia sua communicaret quam cum Attico [3], ut adeo cum hoc tanquam secum loqueretur [4]. Inde tandem constans esse intima illa amicitia potuit ac mutua utriusque aestimatio, quam peperit adolescentia, virilis aluit aetas et firmavit, senectus ad summum adduxit floris vigorisque fastigium.

1 *Diar. lit. Hag.* p. 143; Bernard, *Nov. reip. lit.*, p. 299. Obiter Atticum hac ipsa de causa carpit Abeken l. l. p. 89 in nota.

2 Lib. V. Ep. 2. § 1. Cff. cum hoc loco Lib. XII. Ep. 3. § 1; Ep. 5. § 4.

3 Lib. XII. Ep. 36. § 1.

4 Lib. VIII. Ep. 14. § 2.

Haec de Attici ingenio ac moribus dicenda existimavimus. Subinde nos censorum falsae suspiciones latius quidem divagari jusserunt, sed fecerunt tamen, nisi fallor, ut rebus utrimque spectatis, ad veritatem eo propius accederemus. Virtutes autem ejus adumbravimus, quales eas e Nepote atque Cicerone percepimus. Vitia non tradidimus; non quod eorum expers plane fuerit, sed quod ea nusquam notata apud antiquos invenimus neque jure colligere alicunde potuimus. Ex illorum igitur judicio talis, qualem nos descripsimus, Atticus fuit; virum dico ingenio moribusque tam praeclaris, ut vera laude probitatis, diligentiae, religionis nemo fere ei esset anteponendus [1].

[1] Fuit haec Ciceronis sententia, quam profert Lib. I. Ep. 17. § 5.

Caput Sextum.

POLITICA ATTICI CONSILIA [1].

Colligere hactenus et disponere conati sumus, quaecunque ad Attici res gestas explicandas ejusque indolem plenius exprimendam facere videntur. Hominem igitur descripsimus, virtutis verae laude inter aequales suos florentem tantâque aestimatione et veneratione dignissimum; civem parcius respexi-

1 Hoc argumentum elaboratum aliquando est tribus, quod equidem scio, disquisitionibus, quarum primam, teste Bosio, curavit J. J. Beurerius, qui politica commentatione, Jenae recusa, instruxit et illustravit Attici vitam, qualis, ut quidem videtur, scripta est a Nepote. Altera, edita Argentorati 1651, continetur disputatione Schalleri, inscriptâ: *T. Pomponius Atticus, sive civis tranquillus in rep. turbata.* Tertia denique, quae, laudata in Fabricii *Bibl. Lat.* ed. Ern. Tom. I. Lib. I. p. 102, prodiit Lips. 1720, est H. Ch. Crellii *diss. de Attico nec forti nec ingenuo cive.* Nullam harum scriptionum legere mihi contigit.

mus, saltem de industria non sumus contemplati. Id vero hoc loco agere studebimus, expondituri, quam Atticus in civilibus rebus inierit viam et quid de ea existimandum sit. Quod ut per se intelligitur, paucis absolvere poterimus, siquidem non ita magnopere in republica se facinoribus extulit, ut hac parte nominis famam assequi celebrarique ob merita debuerit, sed privatus semper vixit. Hoc ipsum tamen quomodo et quibus ductus rationibus exsecutus sit, enarrare juvat et, qua par est, aequitate dijudicare.

«In republicâ ita versatus est, ut semper optimarum partium et esset et existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur» [1]. His ipsis verbis Nepos explicat, quo pacto in civilibus negotiis Atticus sese gesserit. Itaque non is fuit, qui modo his, modo illis partibus favens, nullis ex animi sententia reapse addictus, semper fluctuaret seque ad omnes accommodaret; sed ad nullas ita accessit, ut earum publice exstiterit propugnator et in ceteras conspiraret. Eas autem partes secutus semper est, quae ipsi ad patriam servandam civiumque salutem vindicandam conferre plurimum videbantur. Hinc in Caesaris et Pompeji de principatu altercationibus a

1 Nepos c. VI, § 1.

neutris partibus Pomponius stetit[1]. Hinc, tyrannicidio facto[2], Bruto magnopere favit et auxiliatus est; operam tamen factionibus alendis praestare non conatus est, imo coërcuit, ut novimus, quod tendere eo videbatur suâque tergiversatione Brutorum causae haud dubie nocuit[3]. Hinc denique Antonii non sectator neque etiam adulator fuit, quippe cujus consilia pariter atque Caesaris id solum spectare animadverteret, ut unus in republica praepotens dominus exsisteret. Ab insano igitur partium studio remotissimus, fovendis factionibus se nunquam dedit, quarum scilicet vigorem lapsum civitatis eo citius parare arbitrabatur. Eam optimam rempublicam esse dicebat, quam Cicero Consul constituisset, quae esset in po-

1 Lib. XIV. *ad Att.* Ep. 22. § 2. Principio quidem dissensionis Pompejo videtur favisse cum Cicerone aliisque principibus viris; tunc enim pro Pompejo stare et pro republica idem esse putabatur (Vell. Pat. *H. R.* Lib. II. c. 48. § 4); sed ut illum causam reipublicae deserere turpiter vidit, sententiam Atticus mutavit.

2 Putavit Middletonus, Tom. III. p. 4 sqq., tam Ciceronem quam Atticum diu cogitasse, qua ratione Brutum excitarent ad patriae libertatem nece Caesaris restituendam, quod sane fieri potuit. Num vero Brutus, quo tempore re vera caedem perpetravit, consilium suum cum Attico prius communicaverit, dubitari debet. Cicero certe rem plane videtur ignorasse. Cf. Graeterus, Tom. VII. p. 7 sq., cujus rationes Middletoni sententiam satis labefactant. Cf. Tunstallus p. 20 sqq.

3 Cf. Freinshem. ad Liv. Lib. CXVI. c. 115.

testate optimorum [1]. Qua quum contineri unice civitatis salutem sibi persuasisset, non dubitavit etiam, quemadmodum alibi exposuimus [2], operam suam cum Tullii conatibus conjungere; quod unicum haberi facinus debet, ab Attico reipublicae causâ publice peractum. Ut vero aristocratiae ille favebat, ita a tyrannide, certâ civitatum peste, abhorrebat, Quo ut nihilominus res vergere vidit, quietem egit atque ex politicorum praeceptis tempori et victoribus paruit [3]; ad quorum tamen nutum tam longe aberat, ut turpiter se torqueret, ut suam semper dignitatem egregie servaverit. Unde, teste Cicerone, valde ei solebat in ore esse hoc veteris poëtae effatum:

« *Granius autem*
Non contemnere se et reges odisse superbos » [4]:

Et sic quidem, etsi naturâ erat πολιτικός, tamen nullam habuit propriam servitutem, seque magno cuique discrimini suâ prudentiâ incolumem eripuit [5], ut vel ejus exemplo vere dixisse Tacitum appareat: « Est aliquid in nostris consiliis, licetque inter abruptam contumaciam et deforme obse-

1 Cic. *de Legg.* Lib. III. c. 17. § 17.
2 Cf. supra p. 38.
3 Lib. XII. *ad Att.* Ep. 51. § 2, Cff. Lib. X. Ep. 7. § 1; Lib. XV. Ep. 3. § 1.
4 Lib. VI. Ep. 3. § 7.
5 Lib. IV Ep. 6. § 1.

quium pergere iter, ambitione ac periculis vacuum »[1].

Fuit haec Attici in civilibus dissensionibus sentiendi agendique ratio, hoc vetus institutum vitae[2]. Publicis rebus consulto nunquam fere se voluit immiscere. Pariter igitur a capessenda republica et gerendis muneribus per totam vitam abstinuit. «Honores non petiit, quum ei paterent, propter vel gratiam vel dignitatem: quod neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri e republ. sine periculo, corruptis civitatis moribus»[3]. Oblatorum munerum honorem satis sibi esse gloriae ducebat, rem familiarem augere parum honestâ ratione noluit; quapropter et aliorum multorum Praefecturas et Q. Ciceronis legationem accipere negavit[4]. Nec vero Marcus, quamvis, ut supra dictum est[5], ire eum mallet, consilium tamen ejus reprehendere potuit, quum justa de causa proficisci eum nolle certo sciret. Omnino Atticus tam parum delectabatur honoribus, ut ne judicis quidem munus unquam sive oblatum acceperit seu non oblatum petierit, quum tamen dignitas et probitatis laus, qua

[1] Tacit. *Ann.* Lib. IV. c. 20 f.
[2] Ita vocatur a Nepote c. VII. § 3 f.
[3] Nepos c. VI. § 3.
[4] Nepos l. l. § 4.
[5] Cf. hujus disputationis p

floruit, facillima ratione ei aditum ad illud gerendum aperiret [1]. Ita ab omni munere civili ambiendo Atticus alienissimus fuit; beneficiis et consiliis privatis prodesse amicis sibi multo habuit exoptatius quam in turbata republica honorificentissimis magistratibus splendere. Privatus autem quantopere prod esse patriae potuerit, sic demum intelligemus, s vim cogitaverimus, quam consiliis cum in ceteros suos amicos et aequales, in media republica versantes, exseruisse videtur, tum sine dubio in Ciceronem habuit, qui quantum fructum ex ejus prudentia in nullis non rebus perceperit, passim de industria ostendimus. Atque ita de patria sua, etiamsi non ipse rempublicam capessens, Atticus non male meruisse censendus est.

Descripsimus tum viam, qua perpetuo in republica Pomponius processit, tum institutum vitae, quod perpetuo conservavit. Exemplum sane praebuit sedati et quieti animi, cujus similem inter tot factiosa novarumque rerum avida ingenia vix est, quod reperias. Eo igitur nomine dignus nobis videri possit, quem haud vulgari laude celebremus; si vero cui consilium ejus dijudicare ex antiquae Politicae principiis placuerit, primo obtutu alia fortasse res esse videbitur. Antiquarum civitatum natura talis erat, ut communem illae complecterentur civium rem.

[1] Nepos l. l. § 3. Cf. de Fremery l. I. p. 46 sqq., in cujus docta loci Nepotis interpretatione plane acquiescimus.

Boni igitur civis erat, publicam illam rem et communionem tueri, augere, vires omnes ad patriae florem et salutem intendere, imo, si opus esset, mortem pro ea occumbere. Non gerere magistratus, si civibus, id est, civitati ita placuisset, nullis partibus in civilibus dissensionibus palam se addicere, nefas putabatur. Publicam rem videbatur negligere, quicunque civis, ubi ad publicas altercationes venerat, cum nullis aperte rem faceret. Inde factum novimus, ut Solon *capite sanciret, si qui in seditione non alterius utrius partis fuisset*[1]. In cujus legis praestantiam inquirere nunc quidem nihil opus est; sed antiquorum tamen sententiam ex ea continuo animadvertere licet. Quod si igitur illa, quae ex politica veterum ratione contulimus, in unum collegeris, erit quodammodo, quod improbes Attici consilia eique culpae tribuas, quod tantis tamque egregiis ingenii dotibus instructus in communi re sustentanda non omnem operam collocaverit. Verum enim vero, haud scio an afferri possint, quae non quidem plane eum absolvant, sed excusent tamen ejusque culpam magnopere minuant. Videamus.

Attici aetate morum corruptelam jam pessimam apud Romanos invaluisse et ad perniciosissimas quasque factiones et civilia adeo bella ansam praebuis-

1 Lib. X. *ad Att.* Ep. 1. § 2. Causam legis affert Gellius *N. A.* Lib. II. c. 12.

se, quis est qui neget? Civis civem odisse, communem rem suae postponere, summam rerum concupiscere coeperat. Virtutis avitae nomen remanserat, ipsa universe fere èrat exstincta. A Gracchorum inde tempore tantarum calamitatum initium ducendum. Quod hi laudabili studio instituerunt, id ceteri deinceps Tribuni, avaritiâ maxime partiumque furore ducti, male imitati sunt, ut, Senatus Optimatumque auctoritati sese opponentes, rempublicam conturbarent. Inde natae altaeque civiles illae contentiones, inde cruenta illa bella, quae cum labefactata civitate libertatem oppresserunt, ad paucorum vero dominatum tyrannidemque viam sua sponte straverunt. Erupit primum Marii Sullaeque ambitiosa altercatio, funestâ demum hujus victoriâ in patriae summum detrimentum dirempta. Secuta est Catilinaria conjuratio, quae si plane invaluisset, quas Roma fuisset clades perpessa, nemo facile dixerit. Divitiis suis abusi, mox largitionibus alii supra alios se efferre coeperunt et summam rerum oppressis legibus affectare. Pompejum aemulum vicit tandem Caesar et rerum solus potitus primus tyrannidem fundavit, quam post eum brevi intervallo Augustus et deinceps ceteri Imperatores firmare et stabilire pessimo publico aggressi sunt.

Fuit haec reipublicae Romanae conditio, qua Atticus vixit aetate. Is, naturâ pacis amantissimus, morum avitorum priscaeque virtutis studiosissimus

cultor, pravâ ambitione non subactus, tantam civium suorum corruptelam, pessimis exemplis in dies auctam, non poterat non graviter dolere miserâque reipublicae vice, necessario inde natâ, penitus commoveri[1]. Vix secundum et vicesimum agebat annum, quin funestâ vi sese exsererent Marii Sullaeque contentiones bonorumque omnium animos sollicito metu percellerent. Jam tum a factionibus fovendis ejus animus abhorrebat; et tamen neutras partes aperte amplecti non sinebat dissidentium furor. Itaque Athenas eum confugientem vidimus[2], qua in urbe diu etiam post composita bella eum, partim studiis obsequentem, partim Atheniensium rebus benevole consulentem, observare licuit. Domum reversus, bella quidem exstincta, sed caussam summorum malorum florentem et vigentem deprehendit. Ab altercationibus nulla quies; largitionibus omnia plena. Illae autem, quod antea effecerant, non amplius eo spectabant, ut aequilibrium quoddam inter utrumque civium ordinem conservaretur, sed privatorum commodis et potentiae inserviebant. Frustra tantis fluctibus obluctabatur

[1] Talem describit eum Cicero *de Legg.* Lib. III. c. 20. § 48; *Brut.* c. XLII. § 157; *Acad.* Lib. I. c. 1; *de Sen.* c. I. init.; Lib. I. *ad Att.* Ep. 19. § 1; Lib. IX. Ep. 10. § 5.

[2] Ignavum hoc visum consilium est Abbati de St. Réal, *Cesar.* p. 333.

Cato, frustra Cicero, paucissimi alii; praeclarissima paucorum ingenia reprimere ac coërcere corruptam multitudinem non valebant. Quid igitur Atticus? Sui permansit similis et honestum otium, literarum in primis studio temperatum atque exhilaratum, longe praeferebat vitae multis et turbis sollicitae et criminibus obnoxiae. Gravissimae igitur causae fuerunt, quae a civilibus negotiis Atticum avocarunt.[1] Quarum si rationem habemus, ejus consilia politica etsi non plane absolvere, at vituperare tamen desinere cogimur. Quid? quod, vel omisso Nepote, ne Cicero quidem, qui longe aliter agere ipse solebat mediisque se fluctibus immittere, nihil criminis invenit, quod in Atticum tanquam a publicis negotiis abstinentem conjiceret. Contra, ingenium ejus, a suo hoc nomine diversissimum, ita exploratum habebat, ut sciret, non nisi de animi sententia intimâque persuasione Atticum ita in republica versari, justissimis adeo et laudabilibus rationibus ductum. Apponamus Tullii verba, quibus Attico, iniquius a Quinto habito, respondit: « Illa pars epistolae tuae minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut provincialium aut urbanorum commodorum et aliis temporibus et me ipso Consule praetermiseris. Mihi

[1] Pares habuisse Platonem, notissima res est. Ejus verba, quae leguntur *Epist.* VII. p. 852. D., haec sunt: « *Οὐ γὰρ ἔτι ἐν τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι κὰι ἐπιτηδεύμασιν ἡ πόλις ἡμῶν διῳκεῖτο* ».

enim perspecta est integritas et magnitudo animi tui; neque ego inter me atque te quidquam interesse unquam duxi praeter voluntatem institutae vitae: quod me ambitio quaedam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit. — Atque in ista incommoditate alienati illius animi et offensi illud inest tamen commodi, quod et mihi et ceteris amicis tuis nota fuit et abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae; ut, quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac judicio tuo factum esse videatur »[1]. Subjungamus hisce tandem Nepotis sententiam, qua simul, quomodo ceteri aequales de politicis Attici consiliis cogitaverint, optime declarat. « Quo fiebat, » inquit, « ut ejus observantia omnibus esset carior, quum eam officio, non timori neque spei tribui viderent »[2].

[1] Lib. I. Ep. 17. § 5, § 7. Haec Tullii verba Abbas, Opp. Tom. III. p. 532, 534, a veritate procul existimat abesse. Contendit enim, Ciceronem, ne Pomponium offenderet utque ejus vanitati adularetur, falso ei virtutes adscripsisse, quas nunquam habuerit. Vellem, vir doctus idonea protulisset suae sententiae argumenta. Idem pariter atque Mongaltius ad Lib. IV. Ep. 6. (Tom. II. p. 225) in ipsa Attici excusatione, quod ire legatus nollet, Ep. 17 significatâ, miram sibi deprehendere Pomponii vanitatem videtur. Equidem non assequor.

[2] Nepos c. VI. § 5 f. Cf. Wielandus ad Lib. II. Ep. 13. (Tom. I. p. 490).

Hisce igitur causis, quas Attici aequales veras esse crediderunt, nobis etiam acquiescendum neque aliunde politica ejus consilia explicanda videntur. Parum omnino auctoritatis habent rationes, quas ab illis alienissimas recentiores, novarum rerum fortasse studio impulsi, excogitarunt et tanquam unice veras venditarunt. De eorum sententia Atticus insigni φιλαυτίᾳ vitaeque otiosae et inertis cupidine jam ab adolescentia inde ductus fuit, indeque factum ajunt, ut capessere rempublicam et munera ambire neglexerit, sedulo etiam caverit, ne factionibus publicis sese immisceret. Epicureorum more curasse Pomponius iisdem videtur in omnibus ferme negotiis, ne quid haberet, quod vitae tranquillitatem turbaret, simul veritus, ne quos ipsâ munerum petitione sibi redderet infensos. Pecuniam quidem suppeditare subinde solebat, sed iis plerumque, quos credebat summa rerum potituros, semper paratus ad quascunque partes amplectendas. Quibus callidis consiliis et turbas omnes civiles cruentaque bella evitasse dicitur neque ullum inde cepisse detrimentum [1]. Sunt haec aperte falsa commenta, quibus nervos virtutis frustra student elidere. Alia alibi exemplis etiam refutavimus; reliqua non majoris sunt pretii.

[1] *Cesar.* p. 333; *Diar. lit. Hag.* p. 141 sqq. Cf. Middlet. Tom. III. p. 400. Atticum defendit erudit. Rainssant, *Bigarrures curieuses* p. 33.

Verum est, vitam tranquillam et quietam Atticus egit, et haec ejus consuetudo, quod lubenter fatemur, vituperatione quodammodo digna est, quum parum deceret civem Romanum in tantis patriae aerumnis otiosum esse neque in ejus salutem omni operâ incumbere; sed otium, quo Atticus utebatur, in primis fuit honestum, non vero ex animi desidia et socordia ortum. Epicureum vocant, qui vitae commode degendae unice prospiceret. Num igitur fortasse Romae adolescens Pomponius ita jam sese dederat Epicuri scholae, ut hinc repeti possit, quod Marii et Sullae tempore Athenas trajiceret? Vix credo. Ferebat ita Attici ingenium, quod vixdum eâtenus percipere potuit Epicuri placita, ut ad haec vitam plane regeret et componeret. Quod autem inertiam crepant, neque Athenis huic se vitio dedit nec deinde Romae. Utroque loco occupationibus variis eum semper distentum vidimus. Num vero inertiae causâ profectus Athenas est, ut Atheniensium reipublicae et saluti perpetuo consulendo eorumque res omnes administrando iners viveret? Num ideo Romae tot suscepit amicorum negotia remque eorum omnem procuravit, ut otio turpi placidaeque quieti se committeret? Absurda profecto et inepta ejusmodi sententia. Imo vero judicari inde potest, Atticum *non inertiâ, sed judicio fugisse reipublicae procurationem*[1].

[1] Nepos c. XV. § 3 f.

Nec vero quamvis subinde Epicurum vel cogitaret vel memoraret, μὴ πολιτεύεσθαι praecipientem [1], ex animi hoc inertia proficiscebatur, sed ex prudenti et considerata agendi ratione, ad quam Ciceronem quoque, cui sua maxima ambitio saepe multas parere solebat molestias, vocare amice consueverat. Cujus ergo summae Pomponii in politicis rebus prudentiae rationem habens, Nepos admiratione plenus haec effatur [2]. « Quodsi gubernator », inquit, « praecipua laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat: cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? »

Sufficiunt utique haec ad politica Attici consilia adumbranda. Quod si quis post omnia, quae hucusque ad viri tum facta tum ingenium et mores cognoscenda congessimus, paucis complecti Attici imaginem velit, qualem se tam in privata quam in civili vita praestiterit; utatur is sententia quadam Ciceronis, quae, universe quamvis prolata, in Atticum tam egregie quadrat, ut hunc scribens respexisse videatur. Locus ille Tullianus hic est: «Est autem magni animi et fuerunt multi etiam in vita otiosa, qui aut investigarent aut conarentur magna quaedam, seseque suarum rerum finibus continerent:

[1] Lib. XIV. *ad Att.* Ep. 20. § 5.

[2] Nepos c. X. § 6.

aut interjecti inter philosophos et eos, qui rem publicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus usu suos: potiusque et amicis impertientes et reipublicae, si quando usus esset. Quae primum bene parta sit, nullo neque turpi quaestu neque odioso: tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia, nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati et beneficentiae pateat. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere, atque etiam simpliciter, fideliter, vitae hominum amice» [1].

[1] Cic. *de Off.* Lib. I. c. 26. § 9 — 11. Locum hunc, qui dudum mihi propter praeclaram similitudinem cum Attici vita moribusque arriserat, serius laudatum quoque legi a Doct. de Fremery, Spec. laud. p. 73. Cum allatis autem Ciceronis verbis confer, quae ab eodem scripta sunt l. l. c. 20. § 11, 12.

Caput Septimum.

ATTICI STUDIA, SCRIPTA, EORUMQUE, QUAE SUPERSUNT, FRAGMENTA.

Restat, ut in Attico literatum etiam doctumque hominem agnoscamus, seu potius illustremus, quam inierit in philosophia excolenda rationem ac viam, quaque fuerit in literis tractandis diligentia usus. Quae quidem ut scriptis maxime probatur, ita in haec inquirere datâ operâ juvat et, quatenus id per antiquos licet, eorum characterem, qui dicitur, indagare. Cujus disputationis finem reliquiae quaedam constituant, quae, ex Attici scriptis servatae, apud veteres hodieque inveniuntur. Initium vero ducamus a philosophia.

Pomponius igitur, quod me in principio hujus scriptionis animadvertere memini, quum adolescens, relictâ patriâ, Athenas studiorum causâ petiisset, Zenonem ac Phaedrum philosophos Epicuri placita

adumbrantes haud sine admiratione animique voluptate audivit. E Cicerone porro patet, hoc ipso auctore Atticum postea Patroni, qui Phaedro in horto successerat, amicum factum gratumque fuisse [1]. Inde saepius a Cicerone proponi Atticus tanquam Epicureus videtur. Sic in libris *de Legibus*, ubi Stoicorum more Tullius stirpem juris a natura repetere mavult, Atticum, quasi deditum Epicuro, e cujus disciplina omnis negabatur providentia et ab opinione atque utilitate nata jura credebantur, his verbis interrogat: « Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, Deorum immortalium vi et natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quid est aliud verbum, quo planius significem, quod volo, naturam omnem regi? » Ad haec Atticus: « Do sane, si postulas. Etenim propter hunc concentum avium strepitumque fluminum, non vereor, condiscipulorum ne quis exaudiat. » Tum Marcus: « Atqui cavendum est; solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci: nec vero ferent, si audierint, te primum caput viri optimi prodidisse, in quo scripsit, *Nihil curare Deum nec sui nec alieni* » [2]. In libris *de Finibus*, quorum sermo postremus Athenis haberi fingitur, quo tempore ibidem studiorum maxime causâ Cicero quoque degebat, Atticus

[1] Lib. V. *ad Att.* Ep. 11. § 6.
[2] Cic. *de Legg.* Lib. I. c. 7. § 21.

hanc sententiam profert: « At ego — sum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis —, sed, veteris proverbii admonitu, vivorum memini. nec tamen Epicuri licêt oblivisci, si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in annulis habent » [1]. Exstant denique alia loca, e quibus efficias, Atticum Epicuri scholae, quae compluribus ejus aetate Romanis placebat, fuisse addictum. Quid? quod illius hortulos *suos*, illius philosophiam *suam* appellare non dubitat [2], saepiusque Epicurei tanquam Attici condiscipuli memorantur [3].

[1] *de Fin.* Lib. V. c. 1. § 3.

[2] *de Legg.* Lib. I. c. 21. § 54; *de Fin.* Lib. V. c. 32. § 96. Pertinent huc item, quae dicuntur Lib. II. *ad Att.* Ep. 3. § 2; Lib. XII. Ep. 12. § 2.

[3] Vide, praeter loca laud., Lib. IV. Ep. 6. § 1. Sic Lib. V. Ep. 10. § 5: « Xenonem tuum vel nostrum potius.» Cf. Ep. 11. § 6 ejusdem libri. In condiscipulis illis fuit L. Saufejus, ut compertum e Tullio habemus (Cf. Wielandus, Tom. I. p. 482); quem tamen condiscipulatum non ausim cum quibusdam Nepotis auctoritate confirmare. Verba Nepotis exstant c. XII. § 3, sed varie leguntur. Staverenus aliique sic ediderunt: «*L. Saufeji —, qui cum eo complures annos studio ductus philosophiae habitabat*», rell.; verum conjectura est Bosii, ne uno quidem codice probata. Alii alia substituerunt. Vetustissimi libri exhibent: »*qui complures annos—habitabat*», nullo sensu. Quapropter Lambinus priscae huic lectioni ante *habitabat* inseruit *Athenis;* quae lectio ut per se valde placet et ceterae Nepotis narrationi bene congruit,

Haec fundamenta, opinor, firmissima sunt, quibus viri docti posterà aetate suam sententiam de Attici philosophia, tanquam Epicurea, superstruxerunt [1]; quorum quidam ulterius progressi, quaecunque gravia deprehendere sibi in Attico vitia videbantur, explicanda inde docuerunt et iniquius adeo de ingenio ejus judicarunt [2]. Illi enim, Epicuri philosophiam nullorum non vitiorum matrem flagitiorumque magistram existimantes, doctrinâ hac

ita confirmatur egregie Corneriano libro, teste J. F. Heusingero, post Mallii Theodori librum *de Metris* p. 125. Quidquid est, sive quis hanc seu aliam lectionem praeferat, dubia res est; quod facit, ut locus auctoritatis non satis habeat.

1 Referendi ad hos tum omnes fere Epistolarum Ciceronis interpretes, tum vero etiam Horny, *Hist. phil.* Lib. IV. c. 5. p. 251; Reimmannus, *Hist. atheismi*, Sect. II. c. 29. p. 201; Gassendus, *de vit. Epic.* Lib. II. c. 6; Templeus, *Jardin d'Epicure*, Tom. II. P. II. p. 100 sqq.; Bruckerus, *Hist. crit. phil.* Per. II. P. I. Lib. I. c. 1. § 26; Fabricius, *Bibl. Lat.*, Tom. I. Lib. I. c. 6. p. 102; Buhle, *Gesch. der Phil.*, Tom. IV. p. 36, aliique bene multi. Dubitavit Jonsius, *de script. hist. phil.* Lib. II. c. 18. § 4. p. 255.

2 Agmen horum duxit Abbas de St. Réal cum in annot. ad *Epp.* Cic. tum in *Cesarione*. Secuti sunt alii, supra nominati, in primis Mongaltius et Middletonus, qui hujus vestigiis insistit, Tom. III. p. 73. sq., p. 399 sqq., p. 417 sq. Acrem censorem nactus est et in aliis multis et in Attico dijudicando Tunstallum, *Ep. ad Middl.*, qui a pag. 170 inde ad 178 Atticum Epicureis eximit. Plura alibi docte exposuit et copiose, hic vero omisit multa, quibus adhibitis majus procul dubio suae sententiae pondus addidisset.

factum esse perhibuerunt, ut parum amica fide uteretur, ad se omnia et jucundam tranquillamque vitam referret, praestaret se unum ex iis, quos Cicero alicubi [1] nihil prorsus aliud curare dicat, nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos [2]. Ista vero relinquimus, ut quae falsa omnia apparuerunt. Hoc tamen negligendum nequaquam nobis est, ut videamus, quo jure Atticus in Epicuri hortos fuerit detrusus.

Quodsi argumenta ea, quae modo contulimus, sola essent, quae ad nostram quaestionem ex antiquis congeri possint, sane ad quam philosophorum familiam referendus Atticus esset, vix foret dubium. Nunc vero alia res est. Nam primum quidem, si accuratius laudata Tullii loca inspexerimus, facile persuadebitur nobis, in plurimis eum ita scripsisse, ut aperte jocari et vulgatae quidem opinioni, cui Atticus ipse renuere nollet, satisfacere, sed simul aliam reapse fovere sententiam videatur [3]. Deinde novimus, jam

[1] Lib. VIII. *ad Att.* Ep. 13. § 2.

[2] Ita scribit Mongaltius ad Lib. VII. Ep. 17 (Tom. III. p. 518 sq.)

[3] Vide, praeter loca modo laudata ex Lib. I. *de Legg.* c. 7. § 21 et Lib. V. *de Fin.* c. 32. § 96, hujus libri c. 1. § 3, ubi ipse Atticus: « Ego », ait « quem vos, ut deditum Epicuro insectari soletis ». Similiter Lib. I. *de Legg.* c. 21. § 54 metu retentus, Antiochum, Academiae principem, vocare suum *magistrum* non audet. Nec omittantur, quae leguntur Lib. I. *ad Att.* Ep. 3. § 1.

Athenis Atticum vacillasse atque in eo fuisse, ut Epicuro valediceret, quum ex ejus hortulis se ab Antiocho, quem et familiarem et magistrum habebat, paene convelli deducique in Academiam perpauculis passibus pateretur [1]. Haud vulgarem igitur Academicorum philosophiae operam navare debuit; id quod praeterea aliunde constat [2]. Accedunt alia. Socraticos non tantum non contempsit, sed eorum item scripta cum judicio attendit. Quid hac de re apud Ciceronem animadvertat, audiamus. « Ego ironiam illam », inquit, « quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis et Xenophontis et Aeschinis libris utitur, facetam et elegantem puto. Est enim et minime inepti hominis et ejusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptatur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: ut apud Platonem Socrates in caelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem. Decet hoc nescio quomodo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior » [3]. Quin

[1] Lib. I. *de Legg.* c. 21. l. l.

[2] *Acad.* Lib. I. c. 4 sq.

[3] Cic. *Brut.* LXXXV. § 292. Cff. Lib. I. *de Legg.* c. 5. § 15; Lib. II. c. 3. § 6, qui locus uterque probat, Atticum Platonis scripta non contempsisse. Sic quoque Lib. I. *Tusc. Disp.* c. II. § 24, lectitasse se Platonis Phaedonem testatur. Ceterum passim exstant in hoc utroque Tulii opere sententiae, quae in Epicureum germanum male quadrant.

imo Atticus, qualem eum proponit Cicero, Platonem non legit tantum, sed magno etiam est studio et amore prosecutus. Nam, ubi in libris *de Legibus* Marcus dixit: « Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum; quem, quadam admiratione commotus, saepius fortasse laudo quam necesse est »; his eum excipit Pomponius verbis: « Platonem videlicet dicis. — Tu vero eum nec nimis valde umquam, nec nimis saepe laudaveris: nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem, nisi suum laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam » [1]. Nec desunt, quibus Peripateticorum rationem ab Attico exploratam cognitamque fuisse affirmari possit. Ante Clodii Triumviratum, quum jam suis rebus Cicero diffidere coeperat, haec ad Atticum scribit: « Nunc prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus *τὸν πρακτικὸν βίον* longe omnibus anteponat, hic autem *τὸν θεωρητικὸν*, utrique a me mos gestus esse videatur. Puto enim me Dicaearcho affatim satisfecisse: respicio nunc ad hanc familiam. — Quare incumbamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia et eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur » [2].

Haec omnia, quae adduximus, etsi quis nihil efficere dicat, ut vere Atticus dici mereatur ab hor-

[1] *de Legg.* Lib. III. c. 1. init.
[2] Lib. II. Ep. 16. § 3.

tis in Academiam potissimum commigrasse, quod et lubenter concedimus nec probare voluimus, nobis tamen haud refragabitur, vel inde apparere, Atticum *germanum* Epicureum non fuisse. E Cicerone enim collegimus, eum neque in omnibus Epicuro et Epicureis assensum fuisse et satis diligenter in aliorum etiam philosophorum disciplinam incubuisse. Affirmatur hoc aliis Tullii de suis miseriis querentis verbis: «Sunt», inquit, «innumerabilia generis ejusdem: quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem, et nisi haberem socium studiorum meorum, Atticum nostrum» [1]. Sane Cicero, quamcunque eum philosophiae sectam probasse statuimus, omnium minime fuit Epicuri vel assecla vel laudator, in cujus scriptis placitisve dubitari vehementer debet, num tantum potuisset quaerere malorum suorum solatium. Unde sequitur, eum frustra Attici societate usum fuisse in excolenda philosophia, si hic isti sectae plane se dedisset. Succurrit nostrae sententiae mirum in modum Cornelius Nepos, quum tradat, *principum philosophorum* Pomponium percepta habuisse praecepta [2]. Non est profecto, quod tam ineptum Nepotem existimemus, ut solos Epicureos *κατ' ἐξοχὴν philosophos* et quidem *principes* fuisset appellaturus, ceteris omnibus exclusis. Tandem, quod omne du-

[1] Lib. VII. *ad Fam.* Ep. 30. § 2.
[2] Nepos c. XVII. § 3.

bium plane tollet, si cum ceteris argumentis id conjunxeris, vetat aperte Cicero, Epicureum Atticum haberi. Nam ad C. Memmium, a quo, exsulante Athenis, rogatu illius petit, ut cum Patrone in gratiam redeat eique parietinas concedat aedium Epicuri, hoc modo scribit: « Sed, ne plura, (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticum sic amo, ut alterum fratrem. — Is (non quo sit ex istis: est enim omni liberali doctrina politissimus: sed valde diligit Patronem, valde Phaedrum amavit,) sic a me hoc contendit, — ut nihil umquam magis » [1]. Haec adeo quum proprie Ciceronis sententia fuerit, sponte etiam explicatur, quare ille in aliis quidem philosophis disputationibus Attici persona saepius, in iis vero, quae Epicuri philosophiam subjectam sibi materiem habent, nunquam usus fuerit.

Itaque nobis de ratione ac via, quam in philosophia excolenda Atticus fuit secutus, sic videtur existimandum. Athenis in Zenonis Phaedrique familiaritatem et disciplinam incidens, *κυρίας* Epicuri *δόξας* Pomponius studiose attendit multumque impendit diligentiae in tota ejus doctrina cognoscenda; cognitam autem sic adhibuit, ut ad vitae usum moresque bonos informandos in primis eam applicaret. Infitiari enim nequit, disciplinam Epicuri, qualis ab ipso tradita fuit, multa continuisse praeclara vi-

[1] Lib. XIII. *ad Fam.* Ep. 1. § 5.

vendi praecepta, nec tot vitiorum effectricem tum fuisse, qualem eam postea, ab ipsis Epicuri asseclis depravatam, Stoici maxime proposuerunt [1]. Veruntamen non is Atticus fuit Zenonis Phaedrique auditor, qui temere omnia arriperet et velut in magistri verba juraret; judicio uti ipseque in sententiarum veritatem et praestantiam inquirere solebat. Cum Antiocho autem viventi copia fiebat Academicorum item disciplinam cognoscendi ad ejusque normam Epicuri placita dijudicandi. Ita evenit, ut plura sibi reperire in his videretur, quae minus probaret et facerent paene, ut, misso Epicuro, se Academicis adjungeret. Eum sic affectum Athenis ipsis Cicero aliique offenderunt et, Epicuro pro sua opinione nimis etiam deditum putantes, familiaribus sermonibus, ut fit, amice saepius tanquam Epicuri gregis fautorem exagitarent, idque postea, quoties occasio ferebat, jocandi argumentum sumpserunt. Quae causa verisimiliter exstitit, ut nunquam labe illa Atticus se liberare potuerit, sed vulgaris permanserit sententia, Atticum esse Epicureum. Quod vero Athenis jam instituerat [2], id Romae renovasse sedulo Cicero videtur et tum confabulationibus amicis ac disputationibus, tum maxime philosophis suis operibus [3]

[1] Cf. judicium Senecae, quod legitur *de vita beata* c. XIII.

[2] *de Fin.* Lib. I. c. 5. § 16.

[3] Lib. X. *ad Att.* Ep. 4. § 4; Lib. XV. Ep. 2. § 4; Ep. 4. § 2, ubi agitur de *Tusculanis Disputationibus*, quibus At-

perfecisse, ut Atticus Epicuri doctrinam velut unicam vivendi regulam rejiceret. Quandoquidem autem, ut vere a summo poëta expressum est,

« *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
Testa diu »,

ita Pomponius, quae semel adolescens perceperat Epicureae philosophiae principia, maturiore aetate non omnia quidem reprimere potuit [1], neque tamen ita tenuit, ut omnis ejus vita Epicurum redoleret. Vestigia remanserunt; res ipsa ferme sublata fuit.

Quodsi quis, hisce non contentus, exempla a nobis desideret, eum rogatum velimus, ut adeat et perpendat, quae de Attici ingenio ac politicis consiliis disputavimus. Plurima inveniet, quae a germani Epicurei indole, quem sibi indulgentem corporique deservientem fingere solent [2], longissime sunt remota; nulla, nisi quatenus honesta philosophus

ticus, quamvis in iis contra Epicurum mors asseratur non tantum malum non esse, sed etiam bonum, valde se delectari scripserat, ut adeo Victorium ad legendum esset exhortatus, l. l. § 3.

[1] Hinc e. g. mortem sibi inediâ accelerasse putari Atticus possit, ne cibis utendo augeret dolores; qua tamen in re idem Ciceronis opus haud parum ejus consilium confirmaverit, ubi perfugium illud dolorum aperte probatur, Lib. II. c. 27. § 67. Cff. Tunstallus l. l. p. 75 in nota et in primis Epistolae modo notatae.

[2] *de Legg.* Lib. I. c. 13. § 39.

ille praecepit, congrua. Adde, eum a rata Epicuri sententia, *Παίδειαν πᾶσαν φεῦγε*, sic abhorruisse, ut, quod mox probatum ibimus, nihil magis quam doctrinae verae laudem sibi conciliare debuerit. Neve quis mihi objiciat, jam prius Atticum literas calluisse, quam in Epicuri placita incideret. Si ita ex animo Epicuro fuisset assensus, ut placitum illud amplecteretur, quid postea tanto ardore in literas incumbere perrexisset, quidni earum studium abjecisset? « At ipse tamen », dicat aliquis, « studiis istis missis, quum de Attici in republica agendi ratione exponeres, probasse quodammodo videris, eum, etsi non ignavia, tamen res civiles fugisse et decrevisse *μὴ πολιτεύεσθαι*. Nonne hoc est Epicurum sequi? » Novi, et quum ejus consilium honestum cum Cicerone dicam laudemque ut viri prudentis, quem sanior mens et recta ratio regeret longeque eveheret supra perniciosam saepe ambitionem sordidamque avaritiam, cavendum moneo, ne existimemus, Atticum plane *μὴ πολιτεύσασθαι*. Quid enim? Fuitne, quales esse Epicuri sectatores solebant, qui reipublicae partem nec noverit ullam neque unquam nosse voluerit? [1] Vidimus, quanta ingenii perspicacitate, quam acuto judicio de rebus civilibus pronuntiaverit; vidimus, quanto studio Tullius, ipse unus in paucis *πολιτικώτατος*, ejus consilia quavis tempestate expe-

[1] Lib. I. *de Legg.* I. 1.

tierit, nec praesentia modo, sed etiam futura, quod maxime hominis πολιτικοῦ putatur, anxie ex eo quaesiverit. Hujus politicae prudentiae, hujus interioris civilium rerum cognitionis Cicero rationem in primis habuisse videtur, quum libros *de Legibus* scripturus erat; quod effecit, ut in gravi illa materia tractanda Atticum induceret tertium, qui cum utroque Cicerone de jure legibusque disputaret. — Itaque, ut hanc tandem quaestionem mittamus, Atticus non Epicureus, sed eclecticus, ut ajunt, fuit, qui e varia philosophorum disciplina, ut ea aetate plurimum solebant Romani, eligeret sibi, quae conferre maxime ad virtutem bonosque mores videbantur. Sic vero ad vitam degendam, non ad ostentationem philosophia usus [1], vivere et recte et beate Pomponius, qualem quoque cognovimus, potuit. « Nam » (utar auctoritate verbisque Tullii) « sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum; quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur; aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur » [2]. Haec de philosophis Attici studiis; jam cetera aggrediamur.

Uti puer ingenii docilitate, ita adolescens doctri-

[1] Nepos c. XVII. § 3.

[2] Lib. II *de Off.* c. 2, § 5.

nae laude nominis quandam celebritatem Pomponius assecutus est. « Sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum » [1]. Utramque autem linguam bene callens, magno semper studio utriusque ductus fuit; Latinam tanti fecit, ut ejus et puritatis rationem haberet [2] et simul eniteretur, ne verborum copia et delectu Graecae videretur inferior [3]. Poësi item operam navavit; in pronuntiando autem poëmata tam Graece quam Latine sic fuit exercitus, ut nihil posset supra [4]. Omnino quidquid praeclari eo tempore sive in Graecis seu in Romanis habebatur, ingenti incensus literarum amore in succum ac sanguinem convertit. Athenis enim plus viginti annis moratus, ingenii acuendi literisque humanioribus excolendi opportunitatem habuerat amplissimam, qua quidem sic usus est, ut, quod etiam scriptis suis comprobavit, doctissimis quibusque suae aetatis hominibus accenseri plane meruerit. Ipse igitur quum tanto doctrinae variae studio ferretur et scire maxime vellet, *quo uno animus alitur* [5],

1 Nepos c. IV. § 1.

2 Colligitur e Lib. VII. *ad Att.* Ep. 3. § 10; Lib. XIII. Ep. 21. § 3; Lib. XVI. Ep. 13. § 3; Ep. 11. § 4; Ep. 14. § 3.

3 Ea ratione saltem sub Attici persona Cicero scribit *Acad.* Lib. I. c. 5, c. 7; *de Fin.* Lib. V. c. 31. § 96.

4 Nepos c. IV. § 1; c. XVIII. § 5.

5 Lib XII. *ad Att.* Ep. 6. § 1.

ejusmodi alere familiam solebat, quae domini studium prorsus referret. Continuit illa servos ad unum omnes, ne pedisequis quidem exceptis, literatissimos, anagnostas optimos plurimosque librarios [1]; quorum illos, alio omni acroamate spreto, adhibere inter convivia coenamque [2], his ad magnificam librorum supellectilem varii doctrinae generis sibi comparandam uti solebat [3]. Describendi copiam in

[1] Nepos c. XIII. § 3. Iis magnopere Atticum studuisse, efficitur etiam e Lib. IV. Ep. 16. § 14.

[2] Nepos c. XIV. § 1. Cff. Lib. XVI. Ep. 2. § 6; Ep. 3. § 1.

[3] Describenda per literatos illos servos tum aliorum tum Ciceronis opera curavit, ut patet e Lib. XII. Ep. 40. § 1; Ep. 44. § 1; Ep. 45. § 3 f. Ep. 47. § 3, ubi id de Hirtii de Catone libro Cicero eum diserte rogat; Lib. XIII. Ep. 13. § 1; Ep. 21. § 4, 5. Sic quoque ab eo Tullius petit, ut vitium quoddam in *Oratore* non modo in suis libris per librarios corrigat, sed etiam in aliorum, Lib. XII. Ep. 6. § 2, quod factum esse libri omnes testantur. Idem ut in *Academicis* faciat et *Orat. Ligariana* rogat ille Lib. XIII. Ep. 21. § 3; Ep. 44. § 3. Libros autem Ciceronis, ab Attico descriptos, magno pretio fuisse habitos summamque gloriam retinuisse, docet Fronto Ep. X. Tom. I. p. 26. ed. A. Majo. An vero Atticus, ut supra attigimus p. 118, libris describendis rem familiarem accepto foenore augere studuerit, quaestio est ad solvendum difficilis. Statuerunt hoc Middlet., Tom. 1. p. 166; Tunstallus p. 15; Abeken p. 28 in nota et in primis Mongaltius ad Cic. Lib. I. Ep. 10 (Tom. 1. p. 37), addens, neminem magis quam Atticum rei undecunque faciendae fuisse intentum. Vendidit quidem Athe-

primis largam Athenis nactus fuerat; unde factum, ut bibliothecam habuerit lautam et exquisitam, praeclarissimis tum Latinorum tum Graecorum operibus refertam. Plurimis e literatis illis servis atque libertis apud Ciceronem commemorantur, maxime quod eorum operam hic saepe est expertus et quos-

nis rediens Ciceroni praeter signa Megarica aliaque bene multa xysti gymnasiique ornamenta, quae parvo pretio empta deportavit, bibliothecam Graecam; sed *rogatu* fecit Ciceronis. Vidd. Lib. I. Ep. 6. § 2; Ep. 7; Ep. 8. § 2; Ep. 9. § 2; Ep. 10. § 3, 4; Ep. 11. § 3; Ep. 3. § 2; Ep. 4. § 3; Ep. 1. § 5. Verum neque hinc neque aliunde patet, sordidum quaestum ab Attico fuisse spectatum. Affertur locus Ciceronis, qui est Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 13. § 1, quo scribit Cicero, se in *Academicis* consilium mutasse et ex duobus libris ea contulisse in quatuor. Addit: «Tu illam jacturam feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis, frustra descripta sunt. Multo tamen haec erunt splendidiora, breviora, meliora». Haec vero nihil probant de foenore, ne de Tunstalli sententia dicam, quasi Atticus jacturam tam aegre tulerit, ut nihilominus priorem *Academicorum* editionem divulgaverit, unde nos hodie integro Tullii opere careamus. Per se intelligitur, Atticum, qui splendidae bibliothecae multam operam navabat, poenituisse perditae operae, sed dubito, num et ille et Cicero perditum foenus cogitaverit. Si id curavit, quare permisit aliis a se describere? De quo vide e. g. Lib. XIII. Ep. 21. § 4, 5. Quod si tamen quaestui intentus Atticus fuerit, malo cum Wielando statuere, haud turpem eo tempore illum quaestum fuisse et ante auctas avunculi hereditate possessiones ab Attico factum, Tom. I. p. 244 sq.

dam etiam socios subinde habuit studiorum [1], quemadmodum quoque, quoties opus aliquod meditabatur librique ipsi deficiebant, Attici semper bibliothecâ tanquam suâ usus est [2]. Studiorum autem sedem Atticus in Epiro potissimum habuit, quum Romae plerumque permultis et suis et amicorum negotiis ab assidua literarum cura avocaretur; quamquam et hic sub imagine Aristotelis [3]

[1] Lib. IV. Ep. 4b. § 1; Ep. 5. § 3; Ep. 8. § 2; Ep. 17. § 3; Ep. 18. § 3, alibi. Omnes recensere non vacat. Maxime in censum veniunt Alexis, qui Attici Tiro fuit, primum servus, tum libertus et a manu, Lib. VII. Ep. 2. § 3; Lib. XII. Ep. 10; Q. Caecilius Epirota, Atticae praeceptor, qui postea scholam aperuit et primus dicitur Latine ex tempore disputasse, Virgilium quoque et alios poëtas novos praelegere coepisse, auctore Suet. *de ill. gramm.* c. XVI; M. Pomponius Dionysius, libertus et librarius, quem, de Cicerone et Attico nominatum, ille *hominem* vocat *mirificum* studiorumque aliquando socium adhibuit, Lib. IV. Ep. 11. § 2. Fuit postea praeceptor liberorum Ciceronis, Lib. IV. Ep. 15. § 10 f; Lib. V. Ep. 9. § 3; Lib. VI. Ep. 1. § 12, al. Similiter de Attico appellatum invenimus doctum libertum T. Caecilium Eutychidem, Lib. IV. Ep. 15. § 1. Tandem in Attici familia fuit Serapion, homo prae aliis doctus et probus, quem commendasse Ciceroni videtur, qui Dionysio succederet. Vid. Lib. X. Ep. 17. §. 1.

[2] Lib. XII. Ep. 14. § 3. Passim in Epistolis de Attici libris expetit, v. c. Lib. II. Ep. 22. § 7; Lib. IV. Ep. 14. § 1; Lib. VIII. Ep. 11. § 7; Ep. 12. § 6 f; Lib. XIII. Ep. 8; Ep. 31. § 2; Ep. 32. § 2; Ep. 33. § 3; Ep. 39. § 2 f.

[3] Lib. IV. Ep. 10. § 1.

plurimum otii cum L. Saufejo, S. Peducaeo, ne Ciceronem dicam, iis videtur tribuisse. Ante omnia studiis suis praedium quoddam destinaverat in Epiroticis possessionibus, cui adeo de Amalthea capra nomen imposuit Ἀμαλθεῖον et locum addidit peculiarem, gymnasii aut diaetae ratione ornatum atque instructum, Ἀμαλθείαν vocatum [1]. Ornaverat verisimiliter hanc Amaltheam variis clarorum virorum imaginibus, a quibus, ut ab Amalthea Jupiter, ita imperium Romanum tanquam nutritum ad tantam magnitudinem pervenisset [2].

Nullius literarum studiorumque generis amantior Atticus fuit, quam historiae et antiquitatis. Efficitur hoc tum ex editis ejus operibus tum e gravissimis quaestionibus, quas ei in Epistolis proponi a Cicerone solvique item commode invenimus [3]; unde apparet simul, permulta, quae historica in operibus

[1] Lib. I. Ep. 13. § 1; Ep. 16. § 18. Ad ejus exemplum Cicero in Arpinati (Ep. 16. l. l.) Amaltheam sibi confecerat (Lib. II. Ep. 1. § 11.). Unde Amaltheae potissimum nomen gymnasio suo Atticus dederit, docent in annot. Manutius et Gronovius.

[2] Vid. Gronovius ad Lib. I. Ep. 16 f., cujus sententiam exhibet etiam Ernesti, *Clave Cic.*, voce Ἀμαλθεῖον. Similiter *Parthenonem* in villa suburbana videtur Atticus virorum illustrium imaginibus ornasse, Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 40. § 1.

[3] Lib. XII. Ep. 5. § 3; Ep. 20. § 2 f.; Ep. 22. § 2; Ep. 23. § 2; Ep. 24. § 2; Lib. XIII. Ep. 30. § 3; Ep. 32. § 3; Ep. 33. § 3; Ep. 6. § 4; Ep. 4. § 1; Ep. 5. § 1; Lib. XVI. Ep. 13 c. § 2.

suis attigit Cicero, Attici studio atque diligentiae, imo peritiae et doctrinae antiquitatis deberi. Historiam autem cum geographia conjungendam esse intellexit et naviter hanc excoluit. E variis scriptoribus arrisit ei in historia maxime Siculus Timaeus [1]; ad geographiam percipiendam studiose eum tractasse Dicaearchum et pariter *familiarem* habuisse reperimus, cujus politica quoque scripta haud minore studio est prosecutus [2]. Hasce historicas Attici laudes quum magni faceret, Augustus pro suo literarum amore, si coram impediebatur, absens per literas colere eum solebat, modo antiquitatis quaestionem cum eo pertractans, modo de poëtico quodam argumento ejus sententiam requirens [3]. Hinc apte in libris *de Legibus* Atticum Cicero induxit, cujus sub persona locum illum palmarium atque censuram historicorum Romanorum proponeret, quemque se hortantem faceret ad suae patriae historiam conscribendam [4]. Ipse Attici operâ atque scriptis inflammatum se palam praedicabat studio illustrium hominum aetates

1 Lib. VI. Ep. 1. § 18. Voce autem *familiaris* h. l. in errorem inductus, Wielandus in annot. Timaeum historicum vocat Ciceroni *aequalem*, Tom. III. p. 383.

2 Lib. VI. Ep. 2. § 3; Lib. XIII. Ep. 30. § 3. Sic quoque Sophocles ejus *amicus* a Cicerone dicitur, Lib II. Ep. 7. § 4.

3 Nepos c. XX. § 2.

4 Locum significo, qui est Lib. I. *de Legg.* c. 2 et 3.

et tempora persequendi [1]. « Ardeo », inquit alicubi, « studio historiae. Incredibiliter enim me commovet tua cohortatio, quae quidem nec institui nec effici potest sine tua ope » [2]. Verum mors praematura Tullii propositum dissolvit.

Magna illa Pomponii doctrina, insigni humanitate exhilarata, plures ipsi conciliaverat in literatis sui aevi hominibus amicos, quos inter praeter Ciceronem, Peducaeum [3], Saufejum [4], L. Sisennam oratorem [5] aliosque, Nepotem etiam et Varronem [6]. De illo jam egimus; huic autem adeo gratus acceptusque fuit, ut ei non solum in libris partes agendas tribuerit [7], verum singularem etiam librum *de vita populi Romani* inscripserit [8]. Haec Attici et Var-

[1] Cic. *Brut.* c. XIX. § 74.

[2] Lib. XVI. *ad Att.* Ep. 13 c. § 2.

[3] Hujus viri prudentiam quanti fecerit Cicero, colligas cum e Lib. XV. Ep. 13. § 3, tum maxime e Lib. X. Ep. 1. § 1.

[4] Nepos c. XII. § 3. Cf. Lib. VII. Ep. 1. § 1.

[5] Cic. *Brut.* c. LXXV. § 260. De eo vide Vossium, *de Hist. Lat.* Lib. I. c. 10. p. 14.

[6] Lib. II. *ad Att.* Ep. 25. § 1; Lib. IV. Ep. 2. § 5; *ad Div.* Lib. IX. Ep. 1 init.; *Tusc. Disp.* Lib. I. c. 1 init., alibi.

[7] Librum secundum dico *de R. R.*, quo de pecuariis sermo habetur.

[8] Est hic in deperditis Varronis libris, quo majorum vitam descripsit et quantum sua tempora ab eorum frugalitate descivissent docuit. Vid. Fabricius, *Bibl. Lat.* Tom. I. Lib. I. c. 7. p. 125 et in primis Schneiderus, *Script. Rei Rust.* Tom. I. P. II. p. 234 sqq. Cf. Vossius l. l. c. 12. p. 18.

ronis familiaritas causa queque fuit, ut, illo impellente atque urgente, Cicero personam Varronis, qui id desiderabat magnique aestimabat, in alteram suam *Academicorum* editionem et includeret et totum ei opus dedicaret [1]. Eidem dialogo ipse Pomponius tertius fuit adjunctus, ut e Tullii verbis liquet [2] et primo, quem superstitem habemus, libro probatur. « Te ἀαμενέστατα intexui », inquit, « faciamque id crebrius. Proximis enim tuis literis primum te id non nolle cognovi » [3]. Itaque Cicero, ut pridem in libris *de Legibus* fecerat et *Bruto*, in extremum sermonem librorum *de Finibus*, quos eodem illo tempore absolverat fere [4], Attici personam pariter inclusit [5]. Summum omnino in stu-

Eos autem libros missos ad Atticum fuisse, cognoscimus e Sosipatris Charisii *Inst. Gramm.* Lib. I. p. 101.

[1] Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 12. § 3; Ep. 13. § 1; Ep. 16. § 1, 2; Ep. 19. § 3, al. Frustra a Cicerone Atticus petierat, ut idem faceret in libris *de Rep.*, Lib. IV. Ep. 16. § 2. Pariter autem effecit, ut libri *de Finibus* Bruto inscriberentur, Lib. XIII. Ep. 21. § 4.

[2] Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 14. § 2; Ep. 19. § 3; *ad Div.* Lib. IX. Ep. 8. § 1.

[3] Lib. XIII *ad Att.* Ep. 22. § 1.

[4] l. l. Ep. 24. § 2.

[5] Praeter haec opera Ciceronis supersunt nulla, in quibus partes aliquas Atticus sustinet. Quod enim in duobus Codd. nomen ejus in *Tusc. Disp.* scriptum est, ubi in aliis legitur A., id nihil probare recte docuit Davisius, quum de juvene, non de sene persona cogitandum sit. Cf. Raph. Kuehner ad *Tusc. Disp.* Lib. I. c. 5.

diis quoque inter hunc utrumque commercium fuit, quod ad senectutem usque vigere permansit, qua adeo aetate Attico inscripsit Tullius *Catonem Majorem*, cupiens et amicum et se communi onere levari, aut jam urgentis, aut certe adventantis senectutis [1]. Quo vero egregie is prodidit palamque praedicavit intimam illam familiaritatem arctamque necessitudinem, quae sibi cum Pomponio intercedebat, libellus est, quem *de Amicitia* scriptum Attico misit atque dedicavit. « Cum enim saepe mecum ageres » (ita in praefatione ad amicum loquitur), « ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione, tum nostra familiaritate visa est. — Ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. » Sed accuratius videamus de studiorum societate et commercio, quod Ciceronem inter et Atticum locum habuisse novimus.

Cicero, ut omne fere tempus, quod sibi a civilibus, forensibus aliisque rebus supererat, in studiis fere consumpsit operibusque variis conscribendis, ita in hisce Attici opera adeo ei fuit grata, ut sive ejus judicium expetere sive alio nomine industriam et auxilium implorare fere nunquam intermitteret. Vicissim Atticus, si cujusquam, Tullii scriptis vehementer delectabatur [2] et perpetuo eum ad scri-

1 *de Senect.* c. 1 init.

2 Lib. II. Ep. 1. § 3; Lib. IV. Ep. 16. § 2, 3, 8;

bendum stimulabat [1]. Ille appellare Atticum suum Aristarchum solebat [2], qui, quo erat ingenii acumine, literarum Graecarum Latinarumque peritia, mira antiquitatis cognitione, pulchri venustique sensu, ipsius scripta et cognosceret et de sua sententia dijudicaret. Atticus autem, quae minus probaret, prudenter et benevole cum Cicerone solebat communicare [3] et miniata cerula notare [4]. Plurimum judicium ejus apud Ciceronem valuisse, cum aliunde affatim patet tum ex iis, quae Epistola quadam hoc modo scribit: « Quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: sed non audebam antea dicere; nunc vero, quod a te pro-

Lib. V. Ep. 12. § 2; Lib. VI. Ep. 1. § 8; Lib. VII. Ep. 3. § 2; Lib. XVI. Ep. 3. § 1; Ep. 11. § 1; *de Legg.* Lib. I. c. 1 init.

[1] Lib. II. Ep. 14. § 2; Lib. IV. Ep. 6. § 3; Lib. XII. Ep. 4. § 2; Ep. 40. § 2; Lib. XIV. Ep. 17. § 6; Lib XVI. Ep. 13. § 3; Ep. 11. § 3; *de Amic.* c. 1.

[2] Lib. I. Ep. 14. § 3.

[3] Lib. XVI. Ep. 11. § 2. Cff. Lib. VI. Ep. 1. § 8; Lib. XIII. Ep. 21. § 3; Ep. 37. § 3; Lib. XVI. Ep. 11. § 1, cujus Epistolae § 2 testis etiam est, de Attici judicio Ciceronem scripta sua correxisse. Idem patet e Lib. XII. Ep. 5. § 3, ubi respicitur locus *de Fin.* Lib. II. c. 16. § 54, de Attici sententia postea mutatus. Cf. Wielandus, Tom. V. p. 305. Simile officium praestitit Pomponius Bruto, quem aegerrime id tulisse pluribus exponitur apud Ciceronem Lib. XII. Ep. 21. § 1.

[4] Lib. XV. Ep. 14. § 4; Lib. XVI. Ep. 11. § 1.

bata sunt, multo mi ἀττικώτερα videntur»[1]. A nullo enim Cicero sua legi malebat probarique quam ab Attico[2], lubentissimeque ejus in scribendo edendoque consilium exquirebat[3]. Quaecunque igitur confecerat et edere cogitabat, Pomponius primus legenda et exploranda, describenda etiam accipiebat[4], qui cum aliis eadem communicabat[5] et praeclare plerumque venditabat[6] Ita absoluto commentario *de suo Consulatu* Tullius exemplar ad Atticum, quod dijudicaret, misit, metuens quidem ne homini Attico minus Graecum eruditumque videretur[7], sed rogans, ut, si placuisset liber,

1 Lib I. Ep. 13. § 5. Ad rem cf. Lib. XVI. Ep. 11. § 1.

2 Lib. IV. Ep. 5. § 1; Lib. XIII. Ep. 22. § 3; Lib. XVI. Ep. 2. § 6.

3 Constat hoc e Lib. IV. Ep. 8b. § 3; Lib. XIII. Ep. 32. § 3; Ep. 12. § 3; Ep. 16. § 2; Ep. 18; Ep. 19. § 5; Ep. 24. § 2; Lib. XVI. Ep. 13. § 1, 7.

4 Lib. II. Ep. 1. § 11; Ep. 6. § 2; Ep. 13. § 2; Lib. XII. Ep. 14. § 3; Ep. 32. § 3; Lib. XIII. Ep. 21. § 4, 5; Lib. XV. Ep. 27. § 2; Lib. XVI. Ep. 2. § 6; Ep. 3. § 7; Ep. 13. § 1; Ep. 11. § 3. Misit quoque ad Atticum Tyrannio grammaticus librum suum περὶ προςῳδιῶν, Lib. XII. Ep. 6. § 1, et Demetrius Magnes opus περὶ ὁμονοίας, Lib. VIII. Ep. 11. § 7; Ep. 12. § 6 f. Cf. Vossius, *de Hist. Graec.* Lib. I. c. 23. p. 101.

5 Lib. XIII. Ep. 21. § 4; Ep. 48. § 2; Lib. XVI. Ep. 2. § 6.

6 Lib. XIII. Ep. 12. § 2; Ep. 19. § 2.

7 Lib. I. Ep. 19. § 10. Sic Bruti quoque in concione

curaret ille, ut et Athenis esset et in ceteris oppidis Graeciae [1].

Haec de studiis Attici. Quo vero melius cognoscatur pateatque evidentius, quam strenuus ille fuerit et peritus antiquitatis historiaeque perscrutator, age, quae restant, attendamus et videamus, quid scripto mandaverit.

Temporis ratione habitâ, primus in censum venit liber, quem Atticus Graece compositum scripsit *de Consulatu Ciceronis* [2]. Hic enim aliquamdiu post gestum Consulatum, haud novo Romanorum more [3], ἱστορικὸν, ut vocat, nec ἐγκωμιαστικὸν commentarium ejus Graece conscripserat, de quo modo diximus, Latinum item absolverat idemque argumentum tribus libris pertractaverat, Latinis versibus [4]. Praeter alios quosdam sibi familiarissimos [5], Tullius opus

habitam orationem, quam dijudicandam acceperat, reddere Cicero noluit, antequam Attici judicii certior factus fuisset, Lib. XV. Ep. 1b. § 2.

[1] Lib. II. Ep. 1. § 2.

[2] Nepos c. XVIII § 6f.

[3] Vidd. hac de re Corradus, *Quaest.* p. 243, et Fabricius, *Bibl. Lat.* Tom. I. Lib. I. c. 8. p. 210.

[4] Lib. I. Ep. 19. § 10; Ep. 20. § 6. De hoc Tullii carmine legatur J. A. C. v. Heusde, Cic. *Φιλοπλ.* p. 54 sq.

[5] Ad scribendum accessit Herodes, philosophus Atheniensis, de cujus scriptione infaustum judicium fert Cicero, Lib. II. Ep. 2. § 2. Invitavit quoque Posidonium Rhodium, qui tamen, Ciceronis ipsius libro lecto, a scri-

illud Attico etiam demandaverat, qui, amici precibus amice satisfaciens, eodem fere tempore [1] similem commentarium exaravit. Periit autem nobis totum opus, ut ne verbum quidem ejus ad nostram notitiam pervenerit. Exstat vero ipsius Ciceronis de eo judicium, quo adscribendo omnia, quae de ejus praestantia cognosci possunt, tradimus. «Puer tuus», ait, «mihi literas abs te et commentarium Consulatus mei Graece scriptum reddidit. In quo laetatus sum, me aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse. Nam, si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. Quamquam tua illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant; et, ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur» [2]. Simplici igitur nec fucato fuit dicendi genere usus, imo, si quidem non ambitiose pronuntiasse Ciceronem statuimus, minus limato. Constat enim, sibi suo opere Tullium egregie placuisse, quum alios testaretur,

bendo fuit deterritus, Lib. II. Ep. 1. § 2. Tandem Luccejum etiam, ut suas res scriberet, Tullius rogavit, Lib. IV. Ep. 6. § 3, de quo historico vid. Vossius, *de Hist. Lat.* Lib. I. c. 12. p. 19.

[1] Accepisse se Attici scriptionem Kal. Jun. A. U. C. 694 (A. C. 60) Cicero testatur Lib. II. Ep. 1 init.

[2] l. l. § 1.

simul atque hoc legissent, mire retardari in scribendo [1]. Quidquid est, libellus non valde pervulgatus ejusque argumentum maxime in causis fuisse videtur, quod aevum nostrum non tulerit. Mirari quoque subit, a Nepote verbo tantum ea de re mentionem fieri, licet ceteroquin de scriptis Attici satis accurate tradiderit.

Plura de altero Attici opere, nec ea tamen satis dilucida, ex antiquis afferre possumus. Totum illud historicum quidem fuit, sed ita scriptum, ut brevem simul Romanarum gentium genealogiam complecteretur. Res Romanas maxime, a prima inde origine urbis, per septingentorum adeo annorum spatium, Atticus uno illo libro colligavit, conservatis simul notatisque temporibus, nihil quum illustre praetermitteret [2]. Inde opus suum *Annalem* [3] auctor inscripsit, cujus generis esse censebantur omnia opera, quae res gestas plurium annorum, observato cujusque

[1] Lib. II. Ep. 20. § 6.

[2] Ita fere Cicero *Orat.* c. XXXIV.

[3] Nepos *Vit. Hannib.* c. XIII. § 1; Cic. ad Att. Lib. XII. Ep. 23. § 2. Hoc nomine ipsa Attici aetate liber ille notus fuisse videtur. *Annales* vocatur ab Ascon. Ped. ad Cic. *Orat. in L. Pisonem* c. XXII. Operis praestantiam significans Cicero *thesaurorum* nomine illud vocat, Lib. II. *de Fin.* c. 21. § 67. Neque aliter explicanda existimem, quae idem scribit Lib. XV. *ad Att.* Ep. 27. § 2: « Excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in *thesauris* tuis », quamvis vulgo de Attici bibliotheca verba illa accipiantur.

anni ordine, deinceps complectebantur [1]. Concione, imo haud raro jejune scripti ejusmodi libri fuere, quibus adeo plerumque sine ullis ornamentis monimenta solum constituebantur temporum, hominum, locorum gestarumque rerum, ut ad Annales scribendos satis haberetur, non esse mendacem [2]. Pomponii *Annalis* utrum exilibus istis et jejunis operibus accensendus sit an excipiendus, nemo facile dixerit. Id vero e Nepote et Cicerone compertum habemus, opus fuisse suo genere palmarium magnâque cum eruditione tum diligentiâ elaboratum. Utriusque verba apponamus. « Totam antiquitatem », ait Nepos, « in eo volumine exposuit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quae non in eo suo tempore sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere » [3]. Cicero-

[1] Vid. omnino Gellius *N. A.* Lib. V. c. 18, ubi de historiae et annalium discrimine agitur. Cf. Groen v Prinst., *disp. de L. Coelio Antipatro*, Annalibus Acad. Lugd. Bat. inserta, p. 28. Originem annalium apud Romanos quaerendam esse in *annalibus maximi*, Cicero docet Lib. II. *de Orat.* c. 12. § 53. Postea *historiarum* nomen usu est receptum. Vid. Nauta, *disp. de L. Coelio Antip.*, p. 9. not. 11.

[2] Cic. l. l. § 51, 53.

[3] Nepos *Vit. Att.* c. XVIII. § 1, 2. Vossius Lib. I. *de Nat. artium sive de Philologia* c. XIII. § 5 opinatur, ea,

nis, cui dedicatus liber fuit, haec est honorificentissima in *Bruto* sententia: «Istae vero, inquam, Brute, Attici literae non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. Salutem? inquit ille. Quodnam tandem genus istud tam praeclarum literarum fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, qno me hic affatus quasi jacentem excitavit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse. Tum Atticus: Optatissimum mihi quidem est, quod dicis; sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum aut tanto usui posset esse? Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa et eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem: quae cum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonuitque, Pomponi, ut a te ipse sumerem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere» [1].

quae de gente Papiria ad Papirium Paetum Cicero scripsit Lib. IX. *ad Div.* Ep. 21. § 2, desumpta fuisse ex *Annali* Pomponii.

[1] Cic. *Brut.* c. III et IV. § 13 — § 15. Teste Ellendtio ad h. l. putat Lud. Tross, *Bibl. Crit. Hildesiensi* A. 1820

Haec fere de historico illo Attici monimento hodieque cognita sunt, quod sub annum U. C. 707 (A. C. 47) confectum editumque fuisse e Cicerone colligere licet [1]. Illius autem praestantia atque au-

p. 391, annorum computationibus, ab Attico confectis, Ciceronem in *Bruto* usum fuisse. In eandem sententiam jam pridem abiisse Pighium video, *Annal.* Tom. I. Lib. I. p. 13. Summo autem id potest jure colligi, mihique confirmari in primis videtur c. XVIII. § 72 et c. XIX. § 74. Ceterum, quae l. l. Brutus de magna Attici in indagando historiam diligentia animadvertit, ea aliunde etiam auctoritatem sibi conciliant. Nihil enim falsi Atticum vel suspecti in historico tulisse, docemur e *Bruto*, c. XI. § 44, ubi propter scrupulosam diligentiam a Cicerone dicitur *rerum Romanarum auctor religiosissimus.* Quod si hisce addideris, quae c. LXXX sq. § 292—§ 297 sub Attici ipsius persona disputantur, eum in veterum rerum disquisitione egregie se critica severitate et fide commendasse, plane tibi habebis persuasum.

[1] E Lib. IV enim Ep. 16 apparet, Ciceronis *de Rep.* libros prodiisse A. U. C. 700 (A. C. 54) iisque ipsis Atticus se impulsum atque incensum ait *ad veterum annalium* (pro corruptis his legam, *rerum Romanarum* Cf. c. XI. § 44.) *memoriam comprehendendam*, *Brut.* c. V. § 19. Absolutum autem opus est ante annum U. C. 708 (A. C. 46), quo *Oratorem* editum novimus. Tum autem recens fuisse editum haud scio an effici possit ex admiratione, qua aperte et in hoc libro et in *Bruto*, qui anno circiter post prodiit, Pomponii laudes celebrat; quod e dictis Tullii, modo allatis, perquam verisimile redditur. Quae enim *Brut.* c. III. § 13 et § 15 de suis calamitatibus loquitur, ea non nisi ad cladem Pompejanorum post Pharsalicam pugnam,

ctoritas tanta aliquando visa Viro eruditissimo fuit, ut sibi persuasum haberet, Fastos Capitolinos, quorum vulgo Verrium Flaccum conditorem existiment, post hujus demum tempora ab alio quopiam, sed docto historico ex Attici *Annali* ordinatos fuisse publicatosque. Hoc vero obtinuisse, Vespasiano ejusque filio Coss., A. U. C. 822 (823), cujus Fastorum renovationis mentionem faciat Tacitus [1]. Eo autem se adduci testatur, quum videat, Fastos Capitolinos ejusdem genii, ordinis et antiquitatis quasi esse atque laudatum Attici opus [2]. Pro-

ad divortium cum Terentia factum aliaque referri possunt, ut notat Schuetzius. Quum autem ibidem ex tantis malis salutem se accepisse Attici libro referat, probabile fit, circa illud tempus hunc *Annalem* de Attici manibus exiisse. Neque tandem rejiciendum hoc est, quod e variis quaestionibus historicis, Attico propositis, prima legitur Lib. XII. Ep. 5. § 3, quae Epistola scripta est initio m. Quint. A. U. C. 708 (A. C. 46). Quapropter a vero non multum aberraverit, qui statuet, *Annalem* Attici editum fuisse A. U. C. 707 (A. C. 47).

[1] Locum cogitavit, qui est Lib. IV. *Hist.* c. XL.

[2] Sententia est Pighii, *Ann.* Tom. I. Lib. I. p. 13 sq., in quam abiit quoque Vossius, l. l. p. 16. Recessit vero ab opinione illa Hankius, *de Rom. rerum script.* P. II. c. IV. p. 203, hanc potissimum ob causam, quod in Capitolinis marmoribus fragmentum quoddam inveniatur, in quo annus U. 841 (842) exstet, quodque adeo rei memoriam complectatur, 120 fere annis post Attici obitum gestae. Animadvertere tamen mihi liceat, cetera si bene conveniunt, hoc nihil obstare Pighii sententiae. Potuit enim

babilitate quidem haec doctissimi Viri conjectura haud caret, siquidem constat, Vespasianorum tempore Attici librum non plane in oblivionem incidisse, quippe Solino etiam cognitum[1]. Pariter ratio utriusque operis magnâ ex parte eadem fuit. Sed vel sic tamen, si certa aliunde documenta deficiunt, temeritatis est certi aliquid e similitudine illa statuere. Nam paucissima veterum testimonia, quae colligi hinc illinc possunt, non tanti sunt ponderis, ut agitatam quaestionem dirimant. Quapropter mittere haec malumus et ad cetera Attici opuscula transgredi.

Quemadmodum *Annali* suo, praeter populi Romani res gestas, familias etiam earumque originem explicuerat, ita hoc argumentum de industria in aliis libris separatim est persecutus, quorum characterem, quem vocant, laudesque e Nepote cognoscimus, sic tradente: «M. Bruti rogatu Juniam familiam, a stirpe ad hanc aetatem, ordine enumeravit, notans, qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset[2]. Pari modo Marcelli Claudii,

is, qui Vespasianis Coss. Fastos ordinavit, Attici opere uti, ad quam aetatem hic historiam reipublicae fuit persecutus, reliqua vero aliunde conglutinare.

[1] Post Vespasianos scripsisse Solinum, testis est c. XXIX. Vid. Salmas. p. 271 idemque in Prolegg. p. 2 sq.

[2] Colligi potest e Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 40. § 1, si quidem locus sanus est, Atticum utriusque proavi Bruti imagines, tam materni quam paterni, C. Servilii Ahalae

Marcellorum; Scipionis Cornelii et Fabii Maximi, Fabiorum et Aemiliorum quoque. Quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum» [1]. Extra hoc Nepotis judicium de libellis hisce altissimum est in antiquorum scriptis silentium, ut ne verbo quidem usquam commemorentur.

Denique inter opera, a Pomponio edita, in censum venit historicum quoddam, nova prorsus ratione elaboratum. «Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit: ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit. Quod vix credendum sit, tantas res tam brevi-

et L. Junii Bruti, in Parthenone habuisse. Cff. Mongaltius ad l. l., Tom. V. p. 628 sqq.; Wielandus, Tom. V. p. 515; Middlet., Tom. III. p. 5 in nota; cui videtur e tabula illa origo nummi argentei sive denarii repetenda, qui Bruti Ahalaeque imagines referens, describitur in *Thesaur. Morell.* in *Fam. Jun.* Tab. I. 1.

[1] Nepos c. XVIII. § 3, 4. Rejicienda videtur Popmae sententia, ad Lib. XIII. *ad Att.* Ep. 44, existimantis, Atticum praeter libros, a Nepote commemoratos, alios scripsisse, *Cottam*, *Cascam* et *Libonem* inscriptos, eosque pertinuisse ad opus *de Familiis.* Ut enim ipse fatetur, Libonis *Annalis* nominatur Lib. XIII. Ep. 30; accedit, quod Cotta quoque librum Graece edidit *de Rep. Romanorum*, ut docet ad priorem locum Corradus. Nec video, quidni ea opuscula ceteris accensuisset Nepos.

ter potuisse declarari [1]. Tanquam *novitium inventum* proponit idem Plinius, *quod vulgares excipit imagines, et quo etiam, quae non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus.* « Imaginum amore », inquit, « flagrasse quondam, testes sunt et Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine [2], et Marcus Varro [3] benignissimo invento, insertis voluminum suorum fecunditati non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed et aliquo modo imaginibus: non passus intercidere figuras, aut vetustatem aevi contra homines valere, inventor muneris etiam Diis invidiosi, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut praesentes esse ubique et claudi possent » [4]. Videtur igitur

1 Nepos l. l. § 5, 6.

2 Lepidus est Harduini error, haec notantis ad Plinii verba: « Volumen illud a Cicerone scriptum, cui nomen fecit *Atticus*, penitus intercidit ».

3 De opere hoc Varronis, quod vocat Cicero Lib. XVI. Ep. 11. § 3, *Πεπλογραφίαν* quodque inscriptum fuit *Hebdomadum* sive *de Imaginibus libri*, vid. Fabricius, *Bibl. Lat.* Tom. I. Lib. I. c. 7. § 125 sq.; Schneiderus, *Script. Rei Rust.* Tom. I. P. II. p. 223 sqq. Cf. Vossius l. l. c. 12. p. 18. Mongaltius autem, Tom. VI. p. 514 sq., *Πεπλογραφίαν* accipere mavult de *Academicis* Ciceronis, ad Varronem scriptis; sed merito ipse se nescire profitetur, quomodo Tullius tali nomine suum illud opus appellare potuisset.

4 Plinius *Hist. Nat.* Lib. XXXV. c. 2.

Atticus, singulari prorsus industria usus, clarorum virorum imagines, qui liberâ republicâ maxime viguerant, ligatâ oratione ita descripsisse, ut singulis nominibus versus subjungeret paucissimos, quibus de eorum ingenio rebusque gestis admodum concinne, sed splendide tamen explicaret. Ansam ei ad tale opus scribendum praebuerunt fortasse imagines, quibus suam Amaltheam et Parthenonem ornaverat quibusque etiam, ut videtur, epigrammata subscripserat [1]. Ceterum res hujus quoque libri incerta est, ut adeo nubem pro Junone amplecteretur, qui ad liquidum eam vellet perducere. Quo tempore editum opusculum fuerit, quam diu innotuerit post Plinii aetatem, aeque dubium est. Apud Ciceronem quidem nullum vestigium apparet, unde certo possit effici, illum Pomponii *Imagines* cognitas habuisse.

Absolvere hanc disquisitionem nolumus, anteaquam verbo diximus de *Epistolis*, quas ad Ciceronem Atticus scripsit, quarumque corpus inter tot egregia antiquitatis monimenta simul periisse magnopere dolemus; quamquam merito quis dubitet, num, quemadmodum Tullianarum, sive hae ante seu post Tullii necem editae fuerint [2], sic Pompo-

[1] Ciceronis duntaxat imaginem in Amalthea habuit, epigrammatis ornatam. Vide Lib. I. *ad Att.* Ep. 16. § 15.

[2] Discimus e Lib. XVI. Ep. 5. § 5, quae data est annum circiter ante jugulatum Ciceronem, hujus Epistolas tunc

nianarum unquam sylloge exstiterit [1]. Nunc vero

in corpus non fuisse redactas, sed Nepotis rogatu colligere eas constituit. Quum vero Tiro haberet instar septuaginta, quasdam sibi ab Attico sumendas scribit, quas perspectas atque correctas ederet. Itaque, vivo Cicerone, colligendi et digerendi initium Tiro verisimiliter fecerit, sed num conjunctas quoque ediderit, dubitari debet, quum in iis inveniantur, quas Tullius, si se vivo fuissent editae, publici juris procul dubio haud fecisset. Tunstallo autem, contra Middletonum contendenti, l. l. p. 15, Epistolarum syllogen, quam hodie habemus, non a Tirone, sed ab Attico lucri causâ factam fuisse, num ulla sit fides habenda, dijudicet quicunque Pomponii ingenium accuratius exploraverit.

[1] Editas non fuisse existimat Middlet. Tom. III. p. 419, idque vix aliunde repetendum dicit quam e cautione Attici, verentis, ne suae ad Ciceronem Epistolae divulgatae sibi aliquo modo nocerent et gratiam infringerent, qua apud novos reipublicae dominos floreret. Eum igitur, mortuo Cicerone, suas Epistolas Tironi abstulisse et studiose obscurasse. Cf. Abbas de St. Réal, Opp. Tom. III. p. 377 sq. Negavit haec Tunstallus l. l., in Ciceronis minus diligentem custodiam totam culpam conferens. Equidem, propter Nepotis etiam silentium, editas Epistolas non fuisse lubenter credo; sed causam vel in Attici modestia ponam vel alia quadam in re. Non omnium magnorum virorum Epistolae eduntur, neque suas edere fortasse Ciceroni in mentem venisset, ni Nepos postulasset. Quidquid est, Middletoni ratio parum procedit. Atticus enim bene perspexerit, editione Epistolarum, quas ad se Cicero scripsit, suam item rem agi, cujus quippe cogitandi agendique ratio iis ipsis evidenter exponatur; ut intelligi vix possit, quidni apud Tironem pariter studuisset efficere, ne Ciceronianae

nihil nobis reliqui ex iis factum est nisi verba quaedam sententiaeque, cum Ciceronianis simul servatae, quae tamen ipsae ad universum illarum χαρακτῆρα dijudicandum non multum conferre possunt, sed valent quodammodo ad comprobandum Ciceronis de iis judicium. Secundum hunc igitur Attici Epistolae semper insigni se commendarunt prudentia, verborum delectu ac suavitate, dicendi elegantia ac nitore. Aliquoties id disertis verbis enuntiat, quamvis parcissime. « Accepi tuas tris jam epistolas », inquit, « quae fuerunt omnes rhetorum. Pure loquuntur, quum humanitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis » [1]. Deinde: « Natali die tuo scripsisti epistolam ad me, plenam consilii summaeque quum benevolentiae tum etiam prudentiae » [2]. Miratum se alicubi affirmat, ut vidit obsignatam Attici epistolam, brevitatem ejus, ut aperuit, rursus σύγχυσιν literularum, quae solerent compositissimae et clarissimae esse; mox vero, quum febrem cognovisset causam, mirari se desiisse [3]. Fuerunt autem utriusque, tam Attici quam Ciceronis, Epistolae eo etiam nomine insignes, quod, exquisitis Graecorum poëtarum philosophorumque sententiis plerumque adorna-

quoque unquam in lucem prodirent, qui sine Attici auxilio nullo pacto tantam syllogen potuisset in vulgus edere.

[1] Lib. I. Ep. 13. § 1.

[2] Lib. IX. Ep. 5. § 1.

[3] Lib. VI. Ep. 9. § 1.

tae, viros proderent, qui non leviter Graecarum literarum ubertatem degustassent, sed penitus pulchri venustique sensu et accuratâ disciplinarum cognitione essent imbuti. Pomponianae vero hoc maxime proprium sibi habebant, ut acutissimum de quibusvis negotiis, republica in primis, judicium continerent nec speciosam eamque inanem orationem sectarentur; quod quidem effecit, ut aperte Cicero testatus sit, semper eas aliquid secum afferre solere [1], nunquam aut intempestivas sibi aut loquaces visas esse [2].

Fuerunt hae laudes, quas Attici literis Ciceronem tribuisse novimus, quarum varias colligere sententias, quae in Ciceronianis Epistolis servantur, nec a proposito nostro alienum neque inutile duximus. Cavimus vero, quoad nobis licuit, ne qua dubia irreperent; quocirca ab iis, quae non directe ab Attico, ipsis hujus verbis, profecta esse constat, maluimus abstinere. Singulas item voces addidimus, ne quid magnopere desideraretur.

FRAGMENTA
EPISTOLARUM ATTICI AD CICERONEM.

I. *Quum essem in Ceramico.* [Lib. I. *ad Att.* Ep. 10 init.] Hoc exordio in quadam ad Ciceronem Epistola Atticus usus fuerat, quam miserat Athenis

1 Lib. X. Ep. 13. § 1; Lib. XI. Ep. 11. § 1; Ep. 12. § 1.
2 Lib. IV. Ep. 14. § 2. Cf. Lib. XVI. Ep. 11. § 2.

A. U. C. 687 (A. C. 67). Ad hanc igitur respondens ille jocose incipit: « *Quum essem in Tusculano* ».

II. *Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει.* Vetus proverbium Epistolae suae immiscuit Atticus, quo amici animum confirmaret. [Significatur Lib. I. Ep. 20. § 3, sed plene legitur Lib. IV. Ep. 6. § 2.]

III. *Ἅλις σπουδῆς.* [Lib. II. Ep. 1. § 8.] Indicaverat hac Graeca formula Atticus, Tullium sibi videri satis impendisse operae atque diligentiae ad concordiam stabiliendam Senatum inter et Equites.

IV. *Magnum quid aggrediamur et multae cogitationis atque otii.* [Lib. II. Ep. 14. § 2 f.] Fuisse exhortatio videtur, qua ad opus aliquod conscribendum Ciceronem excitaret.

V. *Nunc Hortensium allice et ejusmodi viros.* [Lib. III. Ep. 9. § 2, a Cicerone in exsilio data.] Tullius sincerum Hortensii animum suspicans, reprehendit Attici consilium, ut qui non perspiciat, quorum opera, quorum insidiis, quorum scelere Cicero perierit.

VI. *Secundum comitia.* [Lib. III. Ep. 18. § 1.] Proprie Varronis sunt verba, quae Atticus in Epistola sua ad Ciceronem inseruerat et ab ipso Varrone audiverat, quicum de re exsulantis Tullii fuerat locutus.

VII. *Tibi, ut video et spero, nulla ad decedendum erit mora.* [Lib. V. Ep. 21. § 3.] Missa

Attici Epistola fuit Buthroto ad Ciceronem Ciliciae Proconsulem, m. Jan. vel Febr. A. U. C. 704 (A. C. 50).

VIII. *Ac vellem te in tuum veterem gregem retulisses.* [Lib. VI. Ep. 1. § 10.] Scripserat nempe Atticus, sibi optimum videri, ut Cicero in filia collocanda Equitem Romanum generum sibi eligeret.

IX. *Dissimulantem.* [Lib. VI. Ep. 1. § 11.] Vocem hanc a Pompejo removendum esse Cicero se censere scribit, Attico respondens, qui, ut Schuetzii interpretationem sequar, sic fere dixerit: «Pompejum, quamvis alias *dissimulantem*, in hoc tamen serio agere arbitror, quod ad rempublicam attinet, ut in eo spem omnem otii ponat.»

X. *Nimis gravi praejudicio in ordinem nostrum.* [l. l. § 15.] Atticus de Bibuli edicto ad Ciceronem scripserat, cujus exceptio e re provincialium facta fuerat in detrimentum Publicanorum sive Equitum.

XI. *Τί λοιπόν;* [l. l. § 20.] Verba sunt, in extrema cujusdam Epistolae parte obvia, quibus commotum se fuisse Cicero testatur. Atticus enim inde orsus fuerat Tullium admonere et obsecrare, ne oblivisceretur vigilare, verum animadverteret, quae fierent. Nesciens igitur quid ista admonitione tam accurata significaretur, timor invaserat Ciceronem incogniti periculi.

XII. *Χρύσεα χαλκείων.* [l. l. § 22.] Homerica haec sunt, ab Attico suis literis inserta, quibus significaret, quales pro suis a Cicerone exspectaret.

XIII. *Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες, Πατρίδος.* — [Lib. VII. Ep. 1. § 2.] Haec item Homeri sunt. Ad rem vid. supra p. 67 sq.

XIV. *Ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν;* [Lib. VII. Ep. 3. § 5.] Desumptus locus est e veteri comoedia, qua proponitur aliquis ad Atridas confugiens eorumque opem implorans. Vid. Casaubonus ad l. l. Atticus ea verba Ciceroni accommodaverat, velut rogans, cujus ille partes sequeretur, Caesaris an Pompeji.

XV. *Quid fiet, quum erit dictum: DIC. M. TULLI?* [l. l.] Rem spectant eandem. Scire autem Pomponius cupiebat, quid Tullius responderet, si Consul in Senatu ejus sententiam rogasset. Attici verba significantur etiam Lib. VII. Ep. 1. § 4; Ep. 7. § 7; Lib. IX. Ep. 5. § 2.

XVI. *Succones.* [Lib. VII. Ep. 13. § 5.] Cff. quae supra dicta sunt ad p. 117. not. 2.

XVII. *Dionysius, vir optimus, ut mihi quoque est perspectus, et doctissimus tuique amantissimus, Romam venit XV. Kal. Jan. et literas a te mihi reddidit.* [Lib. VII. Ep. 7 init.] De erudito hoc Attici liberto pauca annotavimus ad p. 175. not. 1.

XVIII. *Quoties exorior!* [Lib. VII. Ep. 26

init.] Ostenderat his verbis Atticus, saepius se ad meliorem fovendam spem erigi. Vid. Orell. ad h. l.

XIX. *Uno in eo judico spem de salute reipublicae.* [Lib. VIII. Ep. 2. § 4.] Ita tum Atticus de Pompejo censebat.

XX. *Jovi ipsi iniquum.* [Lib. VIII. Ep. 15. § 2.) Data Attici Epistola fuit prid. Kal. Febr. A. U. C. 705 (A. C. 49). Verbis autem illis indicare voluit, Pompejum, si vicisset, omnibus, qui partes suas deseruissent, iratissimum fore. Sic locum explicat Schuetzius.

XXI. *Sol excidisse mihi e mundo videtur.* [Lib. IX. Ep. 10. § 3.]

XXII. *Sed videamus et Cnaeus quid agat et illius rationes quorsum fluant. Quod si iste Italiam relinquet, faciet omnino male et, ut ego existimo, ἀλογίστως: sed tum demum consilia nostra commutanda erunt.* [l. l. § 4.] Attici literae, quibus illa verba continebantur, scriptae fuerunt d. X. Kal. Febr. A. U. C. 705 (A. C. 49). Cum his et seqq. cff. quae animadvertimus p. 69 sq.

XXIII. *Tantummodo Cnaeus noster ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat.*

XXIV. *Sed venio ad consultationem tuam. Si Cnaeus Italia cedit, in urbem redeundum puto: quae enim finis peregrinationis?* [l. l.] Utramque Epistolam dedit Atticus d. VIII. Kal. Febr. ejusdem anni.

XXV. *Ego, si Pompejus manet in Italia nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore: sin Italiam relinquit, ad posterum bellum ἄσπονδον strui existimo.* [§ 5.] Data fuit d. VI. Kal. Febr. Verba *ad posterum* delenda Schuetzius, mutanda cum Asc. pr. in *ad postremum* Orellius censuit. Probanda haec lectio videretur, si ipsius Ciceronis essent verba; nunc, quamvis insolita sit formula, vulgata acquiescendum putem.

XXVI. *Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompejus Italiam relinquit, te quoque profugere. Summo enim periculo facies nec reipublicae prod-eris; cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris.* [l. l.] Data d. VII. Id. Febr. Cf. Lib. VII. Ep. 23. § 2.

XXVII. *Quod quaeris a me, fugamne fidam an moram deserendam utiliorem putem: ego vero in praesentia subitum discessum et praecipitem profectionem quum tibi tum ipsi Cnaeo inutilem et periculosam puto et satius esse existimo, vos dispertitos et in speculis esse. Sed, medius fidius, turpe nobis puto esse de fuga cogitare.* [§ 6.] Data d. III. Id. Febr. Initium loci omnibus Interpretibus suspectum visum; unde alii alia substituenda putarunt. Equidem sanam esse lectionem, invitis tot eruditis ingeniis, contendere non ausim; sed vulgata tamen non tam ineptum sensum exhibere mihi videtur, quam plurimi voluerunt. Hoc enim Cicero signifi-

care voluit, quum Attici sententiam exquirebat: « Putasne, Pomponi, utilius mihi esse fugae ad Pompejum me dare, quae mihi certa parata est, an vero in his locis diutius morari, quae tamen aliquando deserere cogar? »

XXVIII. *Ego vero nulla epistola significavi, si Cnaeus Italia cederet, ut tu una cederes: aut, si significavi, non dico, fui inconstans, sed demens. — Nihil relinquitur nisi fuga: cui te socium neutiquam puto esse oportere nec unquam putavi.* [§ 6.] Utrumque est ejusdem Epistolae fragmentum, datae d. XI. Kal. Mart.

XXIX. *Si M'. Lepidus et L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, si salvus sit Pompejus et constiterit alicubi, hanc νεκυίαν relinquas et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quae perspicitur futura, colluvie regnare. — Quid si Lepidus et Volcatius discedunt? plane ἀπορῶ. Quod evenerit igitur et quod egeris, id στερκτέον putabo.* [§ 7.] Haec quoque ad unam eandemque Epistolam pertinuerunt, scriptam d. VIII. Kal. Mart. Voce *νεκυίαν* Atticus Caesaris comitatum indicavit, respiciens ad Hom. Odyss. Lib. XI. Cf. *ad Att.* Lib. IX. Ep. 11. § 2. « Nam quemadmodum umbrae ad Ulyssem in *νεκυίᾳ* Homeri confluunt frequentes, sic homines flagitiosi, facinorosi et aere alieno obruti ad Caesarem confluunt », ut ait Ernestius.

XXX. *Interea non dubito, quin in Formiano mansurus sis. Commodissime enim τὸ μέλλον ibi καραδοκήσεις.* [§ 8.] Data d. V. Kal. Mart. Cf. supra p. 70.

XXXI. *Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una projeceris te.* [l. l.] Data Kal. Mart. Cf. Ep. 6. § 5.

XXXII. *Cras scribam plura et ad omnia: hoc tamen dicam, non poenitere me consilii de tua mansione. et, quamquam magna sollicitudine, tamen, quia minus mali puto esse quam in illa profectione, maneo in sententia et gaudeo te mansisse.* [l. l.] Data d. IV. Non. Mart. Cff. Ep. 2; Ep. 6. § 5.

XXXIII. *Tamen, te non esse una cum Pompejo, non fero moleste. Postea, si opus fuerit, non erit difficile; et illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμένιστον. Sed hoc ita dico, si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter, valde videro et consideratius utilitati nostrae consuluero,* [§ 9.] Data d. III. Non. Mart. Cff. Ep. 2b. § 1, 3. Posteriora Caesarem spectant.

XXXIV. *Videamus, hoc quorsum evadat.* [Lib. IX. Ep. 18. § 4.] Cicero, sermone cum Caesare habito, consilia Attici efflagitabat, quomodo ipsi faciendum esset; Caesarine morem gereret an Pom-

pejum sequeretur. Significat autem, nunc continuo certum esse consilium capiendum nec vero eventum exspectandum, prouti antea scribere Atticus solitus sit.

XXXV. *Ὑπέρευ!* [Lib. X. Ep. 1. § 3.] Fuit haec crebra Pomponii in Epistolis ἐκφώνησις, ut Cicero vocat, qua se hujus delectari consiliis indicaret.

XXXVI. *Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ.* [Lib. XII. Ep. 5. § 1.] Sunt Pindari verba *Nem.* I. vs. 1, ab Attico laudata.

XXXVII. *Domus est forum.* [Lib. XII. Ep. 23. § 1.] Atticus, quum post Tulliae mortem frustra ad res forenses Ciceronem vocasset, eum fuerat adhortatus, ut, relictâ villâ, saltem domum sive Romam veniret, eamque haberet pro foro.

XXXVIII. *Ἐγγήραμα.* [Lib. XII. Ep. 25. § 2 f; Ep. 29. § 2; Ep. 44. § 2.] Avertere enim amicum studens a consilio fani Tulliae exstruendi, Atticus suaserat, ut potius ἐγγήραμα sibi quaereret sive senectutis quandam requiem atque oblectationem.

XXXIX. *Extremi.* [Lib. XII. Ep. 34. § 3.] Scripserat, Silium, quocum de hortis Ciceroni emendis ad fanum exstruendum egerat, sibi dixisse, se in venditione hortorum detractionem *extremi* loci facere velle, qui locus ne is ipse esset, cujus causa de tota re cogitaverat, valde timebat Cicero.

XL. *Reliquum consularem.* [Lib. XIII. Ep.

10. § 1.] Marcelli caede commemorata, Atticus ad Ciceronem scribens hunc unum appellaverat, qui reliquus esset, vere consularem; quod *παρὰ τὴν ἱστορίαν* esse ille docet.

XLI. *Inhibere.* [Lib. XIII. Ep. 21. § 3.] Sic Atticus vertendum censuerat Graecorum *ἐπέχειν*, ideoque Cicero, qui Lib. I. *de Orat.* c. 31. § 153 pro eo scripserat *sustinere*, de Attici sententia ita scribendum curaverat. Tum vero meliora se edoctum scribit et retinendum *sustinere.* Alii de Academicorum libris sermonem esse putarunt, quod non procedit. Vid. Lambin. ad h. l. Cf. § 4.

XLII. *Sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro.* [Lib. XIII. Ep. 40. § 1.] Atticus de Q. Cicerone filio narrans, flagitia ejus paene omnia in Hirtium contulerat. Hic enim illi aditum aperuerat ad Caesarem, cujus gratiâ fretus quum Quintus plurima perpetraret, Hirtius horum *omnium flagitiorum auctor* haberi poterat. Eundem tamen tum minus bene de Quinto sentire, addiderat Atticus. Vid. Manutius.

XLIII. *Nonis Juliis.* [Lib. XVI. Ep. 1. § 1.] Fecerat Ciceronem certiorem de ludis Bruti, Nonis *Juliis* nec vero *Quint.*, odiosâ Caesaris memoriâ, proscriptis.

XLIV. *Μετ' ἀμύμονα.* [Ep. 5. § 5.] Significatur Nepos, quem, ad Hom. *Odyss.* Lib. VII. respiciens, Ciceroni commendaverat.

XLV. *Deseremur potius a re publica quam a re familiari.* [Ep. 3. § 1.] Haec referenda ad causam Buthrotiorum, tandem, etsi cum damno Attici, confectam. Cf. supra, p. 80. not. 3.

XLVI. *Veni igitur, tu, qui εὐθανασίαν, veni. Relinques patriam? Velim σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. Nam si a Phaedro nostro, expedita excusatio esset. Nunc quid respondemus? — Nam Brutus noster silet.* [Ep. 7. § 3—5.] Literis Ciceronem admonuerat, ut ad urbem rediret, licet prius iter ejus approbasset, quapropter a Tullio carpitur.

XLVII. *Provide, si cui quid debetur, ut sit, unde par pari respondeatur. Mirifica enim δυσχρηστία est propter metum armorum.* [l. l. § 6.] Commendat Ciceroni, ut suae consulat famae, solvendo, si cui quid debeat.

XLVIII. *Prius.* [Lib. XV. Ep. 13. § 3.] Scripserat Cicero Epistolà quadam *antea*, quod quum recte dici non posse Attico videretur, obiter illud tetigerat et *prius* dicendum ostenderat.

XLIX. *Illo tempore opus est, quod fuit illis trium viris.* [Lib. XVI. Ep. 11. § 1.] Optime hunc locum videntur explicare, qui Atticum significasse Caesarem, Crassum Pompejumque statuant. Eum diem videre se cupere Cicero scripsit, quum *Philippicam II*, jam absolutam, Atticus edendam putet. Respondit hic, tali tempore opus esse,

quale fuit illis trium (uxorum) viris, quum dicendi libertas nondum omnis erat sublata. Facete ita notasse Caesarem atque Pompejum Tullio visus est. Cons. Schuetz. ad h. l.

L. *Ἀδόλεσχος.* [§ 2.] Se vereri, plurimis rebus enumeratis, Atticus dixerat, ne a Cicerone garrulitatis accusaretur.

LI. *Indignissimum est hunc vivere. — Eodem jure, quo Rubriana.* [l. l.] Utrumque emendatio est in Cic. *Phil.* II. c. 34, c. 40. Prius mutandum censuerat pro *quid indignius?* posterius pro *quo Scipionis.* Illud igitur in Codd. non mutatum in textum recepit Schuetzius Orat. laud.

LII. *Παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου ἔπι Ψυρίης, Appiam ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα.* [Ep. 13 a. § 2.] Ob oculos Pomponius haec scribens habuit Homeri *Odyss.* Lib. III. vs. 171 sq.; quibus voluit indicare, quae Ciceroni Romam redeunti via eligenda esset. *Mimantem* autem Apenninum, *Psyriam* Arpinum appellari, dudum observarunt Interpretes. Cff. quae diximus p. 93.

LIII. *Pedetentim.* [Ep. § 2.] Exhortatus Tullium fuerat, ut non festinanter, sed sensim contra Antonium agere institueret.

LIV. *Quamquam enim postea in praesentia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus.* [Ep. 15. § 3.] *Puer* dicitur Octavianus. Locus autem, ut videtur, est cor-

ruptus. Schuetzius ejecit vocem *postea*. Orellius pro *postea in praesentia* conjecit *postprincipia*, laudans locum in *Sestiana* § 118, ubi item conjunguntur verba *postprincipia* et *exitus*, coll. Varr. Lib. III. *R. R.* c. 4.

Praeter haec *Epistolarum* fragmenta de Attici scriptis nulla supersunt. Tantum de *Annali* ejus quaedam apud antiquos inveniuntur, sed fragmentis tamen, proprie ita dictis, non sunt annumeranda [1]. Testimonia sunt veterum, quibus obiter declarant, quid de ipsa, quam tractant, re Atticus in *Annali* suo memoriae prodiderit. Inde igitur exposuisse eum novimus

I. *Romam conditam Olympiadis sextae anno tertio.* [Solinus, *Polyhist.* c. II. ed. Salmas.] Refert Solinus, idem placuisse M. Tullio; quapropter A. Majus Solini locum in dubium traxit, nisi quis statuere malit, verba Ciceronis spectari, hodie deperdita. Notat haec et alia ad Lib. II. *de Rep.* c. 10, ubi sic legimus: « Roma condita st secundo anno Olympiadis septumae ». Nihil tamen impedit, quominus de Attico recte Solinum pronuntiasse dicamus, etiamsi falli in Cicerone potue-

[1] Haec partim collecta sunt ab Ausonio sive Popma et inveniuntur in *fragmentis historicorum*, quae editionibus Sallustii Cortianae et Havercampianae adjuncta sunt.

rit. Eandem certe sententiam, quam Attico Solinus adscribit, alii quoque sunt amplexi, in quibus Attici aequalis et familiaris Varro, ut satis notum est; Vell. Pat. Lib. I. c. 8; Eutropius Lib. I. c. 1. f; Plutarch. *Vita Rom.* c. XII. Cf. Onuphr. Panvinius, ed. Ven. A. 1558. p. 17 sq., qui praeter hosce sedecim alios laudat scriptores, qui illam *communem populi Rom. post Caesarem* sententiam secuti sunt. Idem vero p. 16 inter eos, quos in narranda Romuli Remique origine et educatione auctores habuit, Atticum nominat; in quo si falsus non est, legere in Attici *Annali* debuit, quae nos latent.

II. *P. Valerio Volesi filio Publicolae aedes publicas sub Velia, ubi postea aedes Victoriae fuit, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse.* [Ascon. Ped. ad Cic. *Orat. in L. Pis.* c. XXII, Vol. V. p. 2723 ed. Verburg.] Lipsius Lib. II. *Epp.* Ep. 11. pro *ex lege* mavult *ea lege.* De Valerio cff. quae scribunt Livius Lib. II. c. 7 f.; Plutarch. *vit. Poplic.* c. X.

III. *Duos Tribunos Plebis, L. Sicinium L. F. Velutum, L. Junium C. F. Paterculum, primum creatos fuisse.* [Ascon. ad *Orat. pro C. Corn.* Vol. IV. p. 1794.] Statuit idem Cicero et ante utrumque in *commentariorum* libris C. Sempronius Tuditanus, teste Asconio. Livius autem duos Tribunos Plebis creatos esse refert, C. Licinium et L. Albinum. Hos tres collegas sibi creasse, in

quibus Sicinius fuerit. Pergit vero sic: «Sunt, qui duos tantum in Sacro monte creatos Tribunos esse dicant», Lib. II. c. 33 init. Ad Livii locum animadvertit Sigonius, illum a ceteris scriptoribus omnibus dissentire in Tribunorum nominibus recitandis, quum Dion. Hal. *Ant. Rom.* Lib. VI. c. LXXXIX nominet *Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον*, *Γάϊον Σικίννιον Βελλοῦτον*, itemque Plutarch. *vit. Coriol.* c. VII init., denique Suidas, voce *Δήμαρχοι*. Quapropter etiam mutanda nomina apud Asconium censuit. Plura de hac quaestione congesta vide a Drakenb. ad locum Livii laud.

IV. *Coriolanum mortem sibi veneno non conscivisse.* [Cic. *Brut.* c. X. § 42; c. XI. § 43.] Livius Lib. II. c. 40 sub fin. alios Coriolanum invidiâ oppressum periisse, alios alio leto tradere narrat. « Apud Fabium », inquit, « longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio. » Et ita quoque sensisse Atticus videtur.

V. *Livium primum fabulam, C. Clodio Caeci filio et M. Tuditano Consulibus, docuisse, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo.* [Cic. l. l. c. XVIII. § 72.] Addit Cicero Attici sententiam confirmari antiquis commentariis, et Gellius *N. A.* Lib. XVII. c. 21. § 32 refert, idem scriptum fuisse a M. Varrone Lib. I. *de Poëtis.* Cf.

Cic. *Tusc. Disp.* Lib. I. c. 1. § 3, quo loco non nimis urgendum, annum quingentesimum *decimum* a Tullio constitutum esse, ut recte monuit jam Kuehner.

VI. *Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam.* [Ascon. Ped. ad *Orat. in L. Pis.* l. l.] Eandem domum dici postea Lucilii poëtae fuisse, tradit simul Asconius.

VII. *Hannibalem mortuum, M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coss.* [Nepos *Vit. Hann.* c. XIII. § 1.] Eodem loco Nepos varias exhibet ea de re scriptorum sententias. Livius eundem, quem Atticus, annum tradit, Lib. XXXIX. c. 51 f.

VIII. *Quibus Consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit.* [Cic. Lib. XII. *ad Att.* Ep. 23. § 2.] Quandoquidem Tullius, quo tempore haec scripsit ad Atticum, *Academica* manu terebat, verisimile est, eum in hoc opere Attici *Annalem* esse secutum, quum P. Scipione, M. Marcello Coss., Carneadem Romam venisse statueret, qui Consulatu functi sunt A. U. C. 599 (A. C. 155.) Vid. Lib. *Acad.* II. c. 45 init.

EPILOGUS.

Dedimus, quae accuratâ veterum perscrutatione de T. Pomponio Attico colligere potuimus, homine ut studiis claro, ita moribus honestis ingeniique praestantia inter aequales eminente. Quibus dotibus si parem adhibuisset reipublicae, non studium dico et amorem, sed alacrem illam et assiduam curam, quae patriae commodis publice propugnandis tuendisque maxime cernitur, quae mediis civilibus undis sese objicere non dubitat, modo patriae intersit, tum profecto exemplar reliquisset, virtutis nomine tam praeclarum, ut vix in tota antiquitate reperires, quem Attico praeponeres. Nunc vero, etsi privatae virtutis laus integra atque inconcussa manet, civilia ejus merita in obscuro latent, et in

consiliis potius ponenda sunt; quae aliis, qui in mediis rebus versarentur, et nominatim Ciceroni dedit, ipse vero, propter aversam a civilibus muneribus ac negotiis voluntatem, exserere atque exsequi non potuit. Privata haec Attici vita, si non una, at longe primaria tamen habenda causa est, de ipso in antiquorum scriptis fere nullam mentionem fieri, si Nepotem excipimus atque Ciceronem; ut horum adeo familiaritati debere nominis celebritatem videatur, qua apud posteros floruit. Et sic quidem post ejus aetatem Seneca vere quodammodo dixisse existimandus est [1]: « Nomen Attici perire Ciceronis epistolae non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa et Tiberius progener et Drusus Caesar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum applicuisset ».

[1] Seneca *Epist.* XXI.

de
ut
pra
si
et
qua
dis
dis
tum
tam
rire
etsi

CORRIGENDA.

p. 6.	lin.	14.	pro	andiverant l. audiverant	
» 63.	»	ult.	bis pro	00 l. 10	
» 70.	»	3, 4.	»	tempore l. tempore fiet	
» 71.	»	21.	»	accidebat l. accedebat	
» 95.	»	6.	»	reliuquere l. relinquere	
» 102.	»	1.	»	maxime l. veri	
» 186.	»	23.	»	*maximi* l. *maximis*	
» 187.	»	8.	»	qno l. quo	

QUAESTIONES.

I.

Pessimum hoc est Mongaltii de Attici ingenio judicium (*Praef.* ad Tom. II. Epp. Cic.) : « *Il étoit plus habile homme qu' honnête homme*, *et du côté même de l'amitié*, *il n'étoit pas aussi essentiel*, *et aussi solide que le choix de Cicéron pourroit naturellement le faire croire*. — *En un mot*, *Atticus étoit de ces hommes qui ne sont au monde que pour eux-mêmes*, *qui dans le commerce mettent du leur le moins qu'ils peuvent*, *et qui tirent des autres tout ce qu'ils en peuvent tirer*».

II.

Atticus, licet procul dubio multam navaverit philosophiae Epicureae operam, Epicureus tamen jure dici non potest.

III.

Epicuream philosophiam vindicat recte Seneca, *de vita beat.* c. XIII. « *Non dico*, *quod plerique nostrorum*, *sectam Epicuri flagitiorum esse magistram*; *sed illud dico*: *male audit*, *infamis est*, *et immerito* ».

IV.

Cum Socratis et ingenio et doctrina pugnat Forchammeri incusatio: « *Er opferte zwar an Festen mit allen Athenern den Göttern, aber in jeder Stoa, an jeder Strassenecke, auf jedem Spaziergang zupfte er die Athenischen Jünglinge am Mantel, und fragte so lange, bis sie mit dem beschämenden Gefühl des Nichtwissens, aber auch mit Zweifel an dem, was sie bisher für Göttlich gehalten, ihn verliessen, oder sich gänzlich in seine Lehre begaben* », in libello *Die Athener und Sokrates*, pag. 6.

V.

Philosophiae Platonicae finem plane explicat Plutarchus, *Quaest. Plat.* c. III: « *Οὐ γὰρ σώματος ἡ Σωκράτους ἰατρεία, ψυχῆς δὲ ἦν ὑπούλου καὶ διεφθαρμένης καθαρμός* ».

VI.

Haud male cum Platone, *de Rep.* Lib. II. p. 369 B. — 370, civitatum origo repeti ex *indigentia* potest; ut nullo jure ab Aristotele eâ de re reprehensus fuerit, *Politic.* Lib. IV. c. 3. § 12. ed. Schneid.

VII.

Orationes, quas historico suo operi inseruit Thucydides, ita ad veritatem videntur esse compositae, ut, formâ mutatâ, materies ipsa magnâ cum fide fuerit servata.

VIII.

Non faciendum cum iis, qui historicam fidem Sallustio negent.

IX.

Non nimias laudes Herodotus Atheniensibus tribuit, quum, bella Persica respiciens, haec dicit: « Νῦν δὲ Ἀθηναίους ἄν τις λέγων σωτῆρας γενέσθαι τῆς Ἑλλάδος, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι τ' ἀληθέος », Lib. VII. c. 139.

X.

Athenarum vigorem iisdem temporibus eximie explicat Plato, *de Legg.* Lib. III. p. 700 A.: « Οὐκ ἦν, ὦ φίλοι, ἡμῖν ἐπὶ τῶν παλαιῶν νόμων ὁ δῆμος τινῶν κύριος, ἀλλὰ τρόπον τινὰ ἑκὼν ἐδούλευε τοῖς νόμοις ».

XI.

Causa interitus regni Persici ab eodem hinc optime repetitur, quod « το ἐλεύθερον λίαν ἀφελόμενοι τοῦ δήμου, τὸ δεσποτικὸν δ' ἐπαγαγόντες μᾶλλον τοῦ προσήκοντος, τὸ φίλον ἀπώλεσαν καὶ τὸ κοινὸν ἐν τῇ πόλει », l. l. p. 697 D.

XII.

Regiam potestatem ut aboleverint Romani, non tam videtur tribuendum indignationi Plebis, quam auctoritati Patriciorum, qui summa rerum potiri ipsique in rempublicam dominari cupiebant.

XIII.

Quae primis reipublicae Romanae temporibus in-